380. *Alta forma*. Est speciosa altitudo ac proceritas, cui utique adjiciunt frondes et comæ vere florentes. Aut hypallagen cogita, quasi esset : Altas silvas habet forma vernantes, id est, altis arboribus adest formositas vere virentibus.

381. *Quas nemore nudo primus investit*, foliis ornat, tanquam vestibus. Simili metaphora Ovidius, Eleg. de Nuce, 131 : « at simul induimus nostris sua munera ramis. » — *Primus tepor*. Primi zephyrorum calores, dum vernantia tempora redeunt.

384. *Solis aspicis truncis*. Longus, Pastor. III, p. 73 ed. Schæfer. in simili re : τὰ δένδρα ἐῴκει κατακλωμένοις. Vide Animadv.

387. *Nec illa venus est*. Illa gratia, illa venustas, quæ quondam fuit. *Illa*, temporis præteriti; *hæc* præsentis nota; ut apud Livium, lib. I, c. 55 : « *hæc* magnificentia operum » : et XLIV, c. 9 : « nondum inducta *hac* effusione : » i. e. *hujus* sæculi. Horat. Od. IV, 13, 17 : « Quo fugit Venus? heu! quove color? decens Quo motus? Quid habes *illius*, *illius*, Quæ spirabat Amores, Quæ me surpuerat mihi, Felix post Cinaram notaque et artium Gratarum facies? » Cic. ad Att. XII, 14 : « perierunt *illa*, quæ amabas. »

389. *Materque*. Matris in pariundo officium, partus. Hinc apud Theocritum, Idyll. XXVII, v. 30, puella : Τεκεῖν τρομέω, μὴ καὶ χρόα καλὸν ὀλέσσω.

Ætas citato senior eripuit gradu.
Vides, ut altum famula non perdat decus?
Cessere cultus penitus, et pædor sedet;
Tamen per ipsas fulget ærumnas decor,
Nihilque ab illa casus et fatum grave
Nisi regna traxit : hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit; hic rapit somnos pavor.
Præclara totis gentibus conjux eram;
Thalamosque nostros invido fato nurus
Optabat omnis : quæve mens quidquam Deos

390. *Ætas citato senior*, etc. Ovid. Med. Fac. vs. 45 : « formam populabitur ætas, et placitus rugis vultus aratus erit. »

392. *Cessere*. Cessit e priore statu *cultus*, id est, ornatus; pulchra tamen est. Stat. Thebaid. IV, vs. 740; « ..... subitam pulchro in mœrore tuentur Hypsipylen : illi quamvis et ab ubere Opheltes Non suus, Inachii proles infausta Lycurgi, Dependet, neglecta comam nec dives amictu; Regales tamen ore notæ, nec mersus acerbis Exstat honos. » Apuleius, Met. II, p. 36 : « At illa, crinibus antependulis hinc inde dimotis, etiam in mœrore luculentam proferens faciem. » Noster supra vs. 360, de Iole : « nudus auro crinis et gemma jacet. » Contra ac descripsit Ovid. Heroid. IX, vs. 127 : « Ingreditur late lato spectabilis auro. » BAD.

395. *Hic*. Elegantiæ antiquæ est dicere, *hic dolor, hic pavor*, pro eo quod vulgus diceret, *hinc*, vel, *ex hac causa dolor aut pavor*.

396. *Altrix*, o nutrix.

397. *Totis*, omnium gentium opinione. *Totis* sumitur pro *omnibus*; ut sup. vs. 383 : « sæva *totas* bruma decussit comas. » Et inferius, vs. 1625 : « Ultraque *totos* porrigit ramos nemus. »

399. *Quæve mens quidquam*, etc. Vide Animadvers. — Nos sequuti Badenium, intelligimus : Quæve puella mente quidquam Deos orabat ullos, quæcumque femina preces Diis admovebat tacita mente, eo ipso facto sortem meæ similem exoptabat. Cic. Epist. ad Div. VI, 7, Cæcina : « Nemo nostrum est, ut opinor, quin vota victoriæ suæ fecerit; nemo quin, *etiam quum de alia re immolaret*, tamen eo quidem ipso tempore, ut quam primum Cæsar superaretur, optarit. » Incertus auctor Epithal. Laurentii et Mariæ, vs. 52 : « ... vosque exaudite puellæ, Quas optare pares thalamos, tædasque jugales, *Sensibus ex imis suspiria ducta* fatentur. » Stat. Thebaid. IX, v. 711 : « Illum et Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ Bellantem, atque ipso sudore et pulvere *gratum* Laudant, et *tacito ducunt suspiria voto*. » Formulæ *mente Deos adire*, *precari*, *orare*, passim sunt obviæ.

Orabat ullos : nuribus Argolicis fui
Mensura voti. Quem Jovi socerum parem,
Altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipse, qui Alcidæ imperat,
Facibus suis me jungat Eurystheus licet,
Minus est : toro caruisse regnantis leve est :
Alte illa cecidit, quæ viro caret Hercule.
NUTR. Conciliat animos conjugum partus fere.
DEJAN. Sic ipse forsan dividet partus toros.
NUTR. Famula illa trahitur interim donum tibi.
DEJAN. Hunc, quem per urbes ire præclarum vides,
Et viva tergo spolia gestantem feræ,
Qui regna miseris donat, et celsis rapit,
Vasta gravatus horridam clava manum,

400. *Nuribus*. Optabant sibi maritum meo parem. — *Mensura voti*. Femina conditionis ejus, conditionis tam fortunatæ, ut nihil esset supra, et essem ego mensura, finis, summa quo tenderent illarum vota.

402. *Mundo*, cælo.

405. *Toro caruisse regnantis leve est*. Hæc est sententia. Ipse Eurystheus si ducere velit his penatibus expulsam, non est tanti. Etsi enim, quum sis regina, toro excidere gravissimum sit, nec solatium habeat, nisi rursus inventam conditionem parem; tamen id in calamitate mea maximum non est, immo leve ducitur, nec magnopere commoveret, si cuiquam alii de regum plebe nupta essem. Hoc grave tanto rege marito caruisse, Herculis domum mutasse : cum ego casum sine solatio remedioque esse autumo.

406. *Alte illa cecidit*, etc. Simile fere sonat vox illa Virgilii, Æn. III, vs. 317 : « Heu quis te casus *dejectam* conjuge tanto, etc. »

408. *Sic ipse*. Sic (invertitque nutricis argumentum) Iole ubi pepererit, firmabit sibi et retinebit Herculem, me in totum rejecta.

409. *Famula*. Hoc si usque adeo metuas, pellicem potius ulta tolle quam maritum, quæ tibi dono data in tua manu est.

410. *Hunc quem*. Quorsum vero illud, si more suo novum exquirat amorem? quo furens, vel furere se simulans aliquando tollet, ut quondam Megaram. Videtur autem hic dictum, ut apud Petron. « hunc adolescentulum, quem vides, malo astro natus est. » Vide Benef. lib. IV, cap. 32.

411. *Viva tergo spolia*, sunt exuviæ leonis nativæ, rudes, non subactæ. Martial. ad Cordubam, Ep. XII, 63, 5 : « Nullo murice, nec cruore mendax, Sed tinctis gregibus colore *vivo*. »

Cujus triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto jacet;
Levis est, nec illum gloriæ stimulat decor.
Errat per orbem, non ut æquetur Jovi,
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat:
Quod amet, requirit: virginum thalamos petit.
Si qua negata, rapitur: in populos furit;
Nuptas ruinis quærit; et vitium impotens
Virtus vocatur: cecidit Œchalia inclyta,
Unusque Titan vidit atque unus dies
Stantem et cadentem. Causa bellandi est amor:
Toties timebit, Herculi natam parens
Quoties negabit; hostis est, quoties socer
Fieri recusat: si gener non est, furit.
Post hæc, quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac sæva manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic conjuges expellit Alcides suas:
Hæc sunt repudia! nec potest fieri nocens.
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit novercam. Quid stupes, segnis furor?

414. *Ult. Seres.* Thyest. vs. 380.

415. *Consepto.* Scil. Oceano: in orbe quem Oceanus ambit.

416. *Levis.* In amore multivolus: ἀλλοπρόσαλλος.

418. *Magnus*, virtutis gloria insignis.

421. *Nuptas.* Supra vs. 53. — *Impotens*, scil. sui.

422. *Cecidit OEchalia.* Plutarch. de Oraculorum Defect. cap. 13: Ἡρακλῆς Οἰχαλίαν ἐπολιόρκει διὰ παρθένον. — *OEchalia*, non illa, quæ postea Chalcis, nec ea quæ in tractu Messeniaco, de quibus Stephanus et Plinius, lib. IV, cap. 9 et 12: «sed tertia Bœotiæ, Euryti, juxta nonnullos, regia, quam OEchalius amnis alluebat, quamque funditus, propter denegatam Iolen, Hercules evertit.»

428. *Istas*, meas. — *Meque.* Ut quondam Megaram liberosque suos. Hercul. Fur. vs. 347. — *Natumque*, Hyllum.

431. *Sic*, cæde.

432. *Nec potest.* Amovetque cæsæ suæ conjugis cum liberis scelus in Junonem: quasi illa immisisset ipsi furorem.

Scelus occupandum est; perge, dum fervet manus.
NUTR. Perimes maritum? DEJAN. Pellicis certe meæ.
NUTR. At Jove creatum. DEJAN. Nempe et Alcmena satum.
NUTR. Ferrone? DEJAN. Ferro. NUTR. Si nequis? DEJAN.
Perimam dolo.
NUTR. Quis iste furor est? DEJAN. Quem meus conjux docet.
NUTR. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
DEJAN. Cælestis ira quos premit, miseros facit;
Humana nullos. NUTR. Parce, miseranda, et time.
DEJAN. Contemsit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses. NUTR. Major admisso tuus,
Alumna, dolor est: culpa par odium exigit.
Cur sæva modicis statuis? ut læsa es, dole.
DEJAN. Leve esse credis pellicis nuptæ malum?
Quidquid dolorem pascit, hoc nimium puta.
NUTR. Amorne clari fugit Alcidæ tibi?
DEJAN. Non fugit, altrix: remanet, et penitus sedet

435. *Occupandum*. Vid. Agam. vs. 193, et Thyest. vs. 204.

436. *Pellicis*. Imo pellicis meæ maritum, jam non meum.

437. *Alcmena*, mortali, idque per adulterium; Ergo, nihil est in tali facto aut nefandum, aut impossibile.

439. *Docet*. Exemplum furoris similis mihi præbens in cæde uxoris suæ Megaræ.

442. *Nullos*. Nullos facit, id est, tollit, ut jam non sint: atque hoc Junonis ira mitior mea, quæ miseriis eum eximit. — Ergo sic pergit Dejanira in hac forma dialogi, qua omne nutricis verbum refellit

443. *Contemsit omnes ille*. Senec. Ep. IV, § 6: « quisquis vitam suam contemsit, tuæ dominus est. »

444. *Major admisso dolor*. Supra delictum Herculis erga te. Vid. Animadv.

446. *Cur sæva*. Cur delictis modicis pœnam tam sævam irrogas? — *Ut læsa es, dole*. Id est, dole leviter, Ovid. Metam. X, vs. 133: « ... quæ non solatia Phœbus Dixit? et ut leviter pro materiaque doleret, Admonuit. »

447. *Leve esse credis*, etc. Sensus est, quem eruit Perizonius: An credis nuptæ leve esse malum, malum pellicis. Vide sis ipsum ad Sanct. Minerv. pag. 176.

448. *Nimium*, est satis magnum, non modicum.

449. *Amor*. Quo in Herculem olim arsisti.—*Fugit*, a te, tibi excidit.

Fixus medullis, crede : sed magnus dolor,
Iratus amor est. NUTR. Artibus magicis fere
Conjugia nuptæ precibus admixtis ligant.
Vernare jussi frigore in medio nemus,
Missumque fulmen stare : concussi fretum
Cessante vento : turbidum explicui mare :
Et sicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum saxa : discussi fores.
Umbræ stetistis : et mea jussi prece
Manes loquuntur : novit infernus canis.
Mare, terra, cælum, et Tartarus servit mihi.
Nox media solem vidit, et noctem dies :
Nihilque leges ad meos cantus tenent.
Flectemus illum : carmina invenient iter.
DEJAN. Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessala
Sub rupe Pindus? aut ubi inveniam malum,
Cui cedet ille? carmine in terras mago
Descendat astris luna desertis licet,
Et bruma messes videat, et cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, et versa vice
Medius coactis ferveat stellis dies :

451. *Magnus dolor, Iratus amor est.* Ovid. Metam. IV, vs. 277, de Daphnide Idæo : « quem Nymphe pellicis ira Contulit in saxum : tantus dolor urit amantes. »

452. *Artibus.* Luc. VI, 458 : « quos non concordia mixti Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ, Traxerunt torti magica vertigine fili. » Sed hoc ex veterum superstitione. — *Fere.* Fere semper.

457. *Patuit.* Sinum aperuit.

458. *Discussi*, etc. Aperui. Vid. Anim. — *Fores*, Inferorum.

460. *Novit infernus canis.* Sic Virg. Æn. XI, 259 : « *scit* triste Minervæ sidus. » Stat. Theb. V, 456 : « cinerem furiasque meorum Testor, ut externas non sponte et crimine tædas Attigerim. *Scit* cura Deum. » Lucanus, Phars. V, vs. 109 : « dedit ille minas impellere belli, Ut Salaminiacum *meminit* mare. »

463. *Nihilque leg.* etc. Nullam rem in ordine suo et statu continent leges a natura datæ.

465. *Pontus.* Qui malarum herbarum ferax. — *Thessala.* In Thessalia, quæ veneficiis infamis.

468. *Descendat.* Hippolyt. 421 et 818. — *Deprehensum*, fixum.

Non flectet unum. NUTR. Vicit et Superos Amor.
DEJAN. Vincetur uni forsan, et spolium dabit,
Amorque summus fiet Alcidæ labor.
Sed te per omne cælitum numen precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, et fide tacita premas.
NUTR. Quid istud est, quod esse secretum petis?
DEJAN. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.
NUTR. Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.
DEJAN. Circumspice, agedum, ne quis arcana aucupet,
Partemque in omnem vultus inquirens eat.
NUTR. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.
DEJAN. Est in remoto regiæ sedis loco
Arcana tacitus nostra defendens specus.
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, quum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Nessus est auctor mali,
Quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
Qua trepidus astris inserit Pindus caput,

472. *Unum*, scilicet Herculem.

473. *Spolium*. Arcum vel sagittas cedet Herculi spolium Cupido.

474. *Amor*. Sc. amoris clades. — *Summus*, supremus, extremus.

479. *Non tela sunt*, quæ meditor.

481. *Interim*, interdum.

483. *Vultus*, tuus.

487. *Non ille*. Soli orienti non exponitur, non occidenti.

489. *Rubenti*, a solis vicini radiis. — *Mergit*. Hercul. Fur. vs. 26.

490. *Pignus*. Venenum revocandi Herculei amoris vim habens.

491. *Nessus*, Centaurus, quem e nube, quam, quum Ixion Junonem de stupro interpellasset, Jupiter pro Junone supposuerat, editum esse ut et natos Centauros narrant. Vid. Hercul. Fur. vs. 778 et 750.

492. *Nephele*. Scilicet νεφέλη, nubes. Vid. not. præced. — *Thessalo duci*, Ixioni. Vid. parit. loc. cit.

493. *Pindus*, mons Thessaliæ: alii, *celsus;* alii, *trepidus*, id est, ingenti sua magnitudine terrorem incutiens, quo sensu *trepidæ literæ*

Ultraque nubes Othrys eductus riget.
Namque ut subactus Herculis clava horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unoque turpe subdidit cornu caput;
Me conjugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos: forte per campos vagus
Evenos altum gurgitem in pontum ferens
Jam pæne summis turbidus silvis erat.
Transire Nessus verticem solitus vadis
Pretium poposcit; meque jam dorso ferens,
Qua jungit hominem spina deficiens equo,

Curtio sunt dictæ, lib. VII, cap. 1, § 36; et *trepidæ noctes*, Statio, Theb. IX, 622.

494. *Othrys;* unus e 34 Thessaliæ montibus.

496. *Achelous*, amnis Acarnaniæ in Epiro, teste Strabone, olim Thoas, post Thestius, et Axenus auctore Plutarcho, lib. de Fluminibus, dictus: oritur ex Pindo, et diu per planitiem lapsus, tandem in Ionium e regione Echinadum influit, ut docent Thucydid. lib. II, 102, et Plin. lib. II, 85.—*Dari,* transformari. Sup. vs. 301.

497. *Peractis*, etc. Vicissim a se mentitis. — *Patuit,* sub vera se ostendit forma.

498. *Uno turpe cornu.* Namque in taurum converso Acheloo Hercules cornu avulsit. — *Cornu.* Cunctis fluminibus veteres cornua tribuerunt, ut docet Delr. in not. Claudiani; et notum est.

501. *Evenos*, OEtoliæ fluvius.

502. *Pæne summis turbidus silvis erat.* Id est, in eam altitudinem creverat, ut pæne summas silvas æquaret. Silius, V, 261, de Thrasymeno: «lacus ater, in altos Sublatus montes et sede excussus avita, Lavit Tyrrhenas ignota aspergine silvas.» — Vid. Animadv. — Occurrit quiddam prorsus simile, Virg. Æneid. XI, 546: «Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans Spumabat ripis, tantus se nubibus imber Ruperat! Ille innare parans, infantis amore Tardatur, caroque oneri timet.» Hinc *ripis* pro *silvis*.

503. *Vadis*, per undas.

505. *Equo.* Centauri semihomines et semiequi fuisse finguntur, quia, ut ait Lucret. lib. V, vs. 876: «... neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo Esse queant duplici natura et corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas.» Sic Hippocentaurum inveniri posse negaverunt Cicero, Tuscul. Quæst. I, et de Nat. Deor. II; et Galenus de Usu partium, lib. III. Sed affirmat divus Hieronymus in vita Pauli eremitæ, et Plin. lib. VII, 56, 11. Cæterum fictionis causam hujusmodi memorant fuisse,

Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Jam totus undis Nessus exierat ferox,
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem verticem scindens gradu.
Ast ille ut esse vidit Alcidem procul:
« Tu præda nobis, inquit, et conjux eris.
« Prohibetur undis; » meque complexus ferens
Gressum citabat: non tenent undæ Herculem:
« Infide vector, inquit, immixti licet
« Ganges et Ister vallibus junctis eant,
« Vincemus ambos: consequar telo fugam. »
Præcessit arcus verba: tum longum ferens
Arundo vulnus, tenuit hærentem fugam;
Mortemque fixit: ille jam quærens diem

Centauros Pelei Thessaliæ montis accolas, a quibus primo fuerit ratio ex equis dimicandi. Ferunt autem accidisse, ut, dum forte juxta Peneum amnem aquarentur, quorum equi potantes habebant immersa fluctibus ora, eam procul spectantibus speciem præbuissent, quam in biformibus Centauris postea credula fabulosaque expressit vetustas. Hæc nonnulli. — *Spina deficiens*, Jam non recta, nec, ut est in homine, uno eodemque tractu pergens; sed, quodam defectu curvata, et equinum dorsum referens.

506. *Minas*, impetus æstuosos.

508. *Medioque adhuc*, Ovidius scribit etiam Herculem exisse, Archilochus neutrum: in medio enim Eveno vult occisum Nessum, ut docet Schol. Apollonii in lib. I; aptius utroque Noster rem totam. — *Errabat*. Quippe vadorum ignarus. Nessum contra *scitum* fuisse *vadorum*, testatur Ovid. Met. IX, vs. 108.

511. *Inquit*, Nessus, eam auferens.

512. *Prohibetur undis*, Hercules prohibetur, ne possit me consequi, te vindicare vel eripere. — *Meque complexus*. *Que* transitioni inservit, ut in OEdip. vs. 563: «...sanguinem libat focis, Solidas*que* pecudes urit.» Vid. Animadv.

513. *Gressum*. Nessus celeriter fugiebat. — *Non tenent undæ Herculem*. Obstaculum aquarum non cohibet iram et ictus Herculis.

514. *Infide*. O Nesse, raptor perfide, inquit Hercules.

515. *Ganges et Ister*, fluvii maximi: hic Germaniæ, ille Indiæ. — *Vallibus*, alveis, ut supra vs. 85: « *Vallibus* novis currat Ister. ».

516. *Fugam*, te fugientem.

517. *Præcessit*, etc. Sagitta arcu emissa prius Nessum percusserat, quam verba audivisset. — *Longum*, e longinquo feriens.

519. *Mortemque fixit*. Igitur et mortiferum telum et letale vulnus:

Tabum fluentem vulneris dextra excipit,
Traditque nobis ungulæ insertum suæ,
Quam forte sæva sciderat avulsam manu.
Tum verba moriens addit: « Hoc, inquit, magæ
« Dixere amorem posse defigi malo:
« Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
« Unam inter omnes Luna quam sequitur magam,
« Astris relictis: illitas vestes dabis
« Hac, inquit, ipsa tabe, si pellex tuos
« Invisa thalamos tulerit, et conjux levis
« Aliam parenti dederit altisono nurum.
« Hoc nulla lux aspiciat, hoc tenebræ tegant
« Tantum remotæ: sic potens vires suas
« Sanguis tenebit. » Verba deprendit quies,
Mortemque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentem virus in vestem datum
Mentem per artus adeat, et tacitum intimas
Intret medullas. NUTR. Ocius jussa exsequar,

utrumque autem poetis utique et omnia extrema, mors: sic et *mors figitur.* Lucan. VII, 517: « petitur solus, qui campis imminet aer: Inde *cadunt mortes.* » Stat. Theb. VI, 793: « Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes. » — *Quærens diem.* Similiter Dido moriens, Æn. IV, 692: « Quæsivit cælo lucem. »

520. *Tabum.* Hic *tabus*, τὸ λύθρον, cruoris inquinatio.

524. *Malo*, veneno incantato.

525. *Docta.* Veneficiorum et magiæ perita. — *Mycale.* Ovid. Met. XII, vs. 262: « ... Orio Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo Sæpe reluctantis constabat cornua lunæ. » Hinc itaque locus ille desumtus fuit. — *Thessalas*, incantamentis famosas.

526. *Luna*, incantata. Hippol. vs. 421; Virg. Ecl. VIII, 69.

529. *Et conjux levis.* Et Hercules inconstans aliam duxerit uxorem, Jovi nurum futuram.

531. *Hoc nulla lux aspiciat.* Malum hoc, hoc vestimentum ne tu proferas in lucem.

532. *Sic*, si fuerit servatum et abditum in tenebroso recessu.

533. *Verba.* Hæc Nessi verba quies mortis prænuntia, mors excepit, insequuta est.

537. *Tacitum.* Non statim intellectum: alii legunt, *tactu:* sed vid. Animadv.

Alumna : precibus tu Deum invictum advoca,
Qui certa tenera tela demittit manu.
DEJAN. Te deprecor, quem mundus et Superi timent,
Et æquor, et qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri, te, aliger sævæ puer;
Intende certa spiculum velox manu,
Non e sagittis levibus : ex numero, precor,
Graviore profer, quod tuæ nondum manus
Misere in aliquem : non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules : rigidas manus
Intende, et arcum cornibus junctis para.
Nunc, nunc sagittam prome, qua quondam horridus
Jovem petisti; fulmine abjecto, Deus
Quum fronte subita tumuit, et rabidum mare
Taurus puellæ vector Assyriæ scidit.
Immitte amorem : vincat exempla omnia.
Amare discat conjugem : si quas decor

539. *Deum*, Cupidinem, amorem.

541. *Quem mundus*. Quem numina, animaliaque cælestia, terrena et maritima timent.

542. *Qui fulmen Ætneum*, etc. Fabricatum in antris Ætneis.

543. *Timende matri*. Quum ne ab ipsa quidem tu abstineas : hoc enim Venus apud Lucianum queritur. — *Te aliger*. Alii *Teliger*.

545. *Ex numero*. Qui legunt *ex humero*, interpretantur, « ex parte coryti sive pharetræ, quæ maxime humerum tuum gravat, quia graviores sagittas continet. » Nos, post Badenium, *ex numero*, respicientes, sicut et ipse fecit ad Anacreontis Od. XLV, vs. 11 : Ὁ δ' Ἔρως, τόδ' ἐστιν, εἶπε, Βαρύ· πειράσας νοήσεις· Ἔλαβεν βέλεμνον Ἄρης· Ὑπεμειδίασε Κύπρις. Ὁ δ' Ἄρης ἀναστενάξας, Βαρὺ, φησὶν, ἆρον αὐτό. Ὁ δ' Ἔρως, ἔχ' αὐτὸ, φησί.

549. *Cornibus junctis*. Ita ut extrema utrimque pars fere jungatur.

552. *Quum fronte*. Quum Jovi in taurum verso eruperunt subito cornua. Conf. Hipp. 303. — *Rabidum*. Δεινότερον quam *rapidum* (vid. Var. Lect.). Recte explicat Gronov. per *insanum*. Thyest. vs. 361 : « Aut sævo rabidus freto Ventosi tumor Adriæ. » Ubi vid. not. et Mitscherlich. ad Horat. Od. III, 6, 30.

553. *Puellæ Assyriæ*. Europes, cujus pater Agenor fuit rex in Assyria.

554. *Omnia*, omnium qui amore insaniverunt.

555. *Conjugem*. Nam conjuges (pellicibus deditus) contemnere solet, ut Megaram et me.

Ioles inussit pectori Herculeo faces,
Exstingue totas : perbibat flammas mei.
Tu fulminantem sæpe domuisti Jovem,
Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbæ ducem majoris, et dominum Stygis.
Tuque, o noverca gravior irata Deus,
Cape hunc triumphum : solus evince Herculem.
NUTR. Prolata vis est, quæque Palladia colu
Lassavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem : precibus augebo malum.
In tempore ipso gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis est dira, ne pateat, doli.
DEJAN. O, quod superbæ non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,.
Dum vagus in orbem fertur, et victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum,
Nunc poscit Iolen : sed jecur fors horridum
Flectam merendo : merita vicerunt malos.

560. *Majoris*. Mortuorum enim major quam vivorum numerus. Cf. Herc. Fur. 558. — *Dominum Stygis*. Plutonem.

561. *Tuque*. Id est, tu quoque. — *Nov. gravior irata*. Herculi semper Amor nocentior quam Juno irata.

563. *Prolata vis est*. Ecce habes prolatum a me venenum illud tantæ potentiæ. — *Quæque*. Et vestis, quæ, etc. — *Palladia*. A Pallade inventa. Vid. Hipp. 103.

564. *Texta*. Toga. — *Famularem manum*, familiam, famulos omnes.

565. *Bibat*, imbibat venenum vestis, quam Hercules mox induet.

566. *Precibus augebo malum*, imprecationibus magicis.

567. *In tempore ipso*. Opportune. — *Gnavus*. Celer.

568. *Vis*, pro veneno. Vs. 563.

569. *Quod*. Namque in tot populis vix una fides. Inf. vs. 608.

570. *Nomen*, persona, homo.

573. *Lydiam*, Omphalen. Conf. Herc. Fur. vs. 466 et seq.

574. *Jecur*, cupiditatum sedem, maxime amoris. Hor. IV, od. 1, 12.

575. *Merendo*. Meritis et beneficiis meis. — *Merita vicerunt malos*. Evenit semper, ut beneficiis flecterentur animi cæterum intractabiles.

Non ante vestes induat conjux, jube,
Quam ture flammas pascat, et placet Deos,
Cana rigentem populo cinctus comam.
Ipsa in penates regios gressus feram,
Precibusque Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendam vicem.

CHORUS ÆTOLARUM MULIERUM.

Flemus casus, Œnei, tuos,
Comitum primos turba per annos:
Flemus dubios, veneranda, toros.
Nos Acheloi tecum solitæ
Pulsare vadum, quum jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu serperet æquo,

578. *Cana*, alba populo. Herc. Fur. 894; Virg. *Flore*, p. CXXXII.

582. *Calydoniæ*, Ætolides. Calydon enim regia Ætolorum urbs.— *Deflete*, Quod faciunt in sequenti Choro. — *Vicem*. Sortem meam.

Act. II, sc. II. Mulieres Calydoniæ sortem Dejaniræ deflent: ambitionem, avaritiam, luxum, cæteraque mortalium studia inania detestantur, privatam fortunam laudant.

583. *Œnei*, o Dejanira, filia regis OEnei.

584. *Comitum turba*. Nos quæ omnes fuimus comites tuæ.

585. *Dubios*, repudium timentes.—*Veneranda*, πότνια: sunt enim familiares et ministræ principis feminæ, ex quibus constat Chorus. Hæ ante omnes dominæ venerationem debent.

586. *Acheloi*. Vs. 300 et 496.

587. *Pulsare*. Pede tentare.

588. *Vere peracto*. Quo tempore, «Mutat terra vices, et decrescentia ripas Flumina prætereunt.» Ut ait Horat. IV, Od. 7, 3.

589. *Gradu serperet æquo*. Amnis dicitur serpere *æquo gradu*, quum qui natura vehemens et rapidus non est, agitur naturali motu, ut pedetentim, tantum impellentibus, quæ sequuntur, undis, quantum cedere ac loci dare possunt priores, planus ipse et æquus: non turbidus et concitatus et fervens undis, quia anteriores tantum evolvere nequeunt, quantum effundunt sequentes, super undas scandentibus

Nec præcipitem volveret amnem
Flavus rupto fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros:
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis,
Quum jam, pulso sidere brumæ,
Tertia soles evocat æstas,
Et spiciferæ concessa Deæ
Attica mystas claudit Eleusin.

et tumultuantibus atque inæqualiter præcipitantibus. Gronov.

590. *Volveret.* Inferret in Acheloum præcipites undas.

591. *Flavus.* Arenis flavus Lycormas, fluvius Ætoliæ, qui postea Evenus dictus. — *Rupto fonte.* — Aquis supra modum effusis. — *Lycormas*, Evenus. Strabo, X, p. 692: Ὁ Εὔηνος, ὁ Λυκόρμας πρότερον καλούμενος. Archelaus, de Flum. lib. I: Λυκόρμας τῆς Αἰτωλίας ποταμὸς, μετωνομάσθη δὲ Εὔηνος· γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ βοτάνη ζάρισα προσαγορευομένη, λόγχῃ παρόμοιος, ποιοῦσα πρὸς ἀμβλυωπίας ἄριστα. Fluvius iste prius Lycormas, postea Evenus dictus fuit, quia Evenus Idam, Marpessæ filiæ suæ raptorem, insequutus, quum ad eum fluvium pervenisset, videretque omnem ulterius insequendi occasionem sibi eripi, amens sese in Lycormam præcipitavit, ut est apud Apollod. Bibl. I, et Plutarchum in Parallelis, ex Dositheo, nec non in libello περὶ ποταμῶν, qui unus nobis hodie superest ex multis qui de fluminibus olim Græciæ scripserunt, veluti Chrysermus, Archelaus, Timagoras, Asclepiades, aliique.

592. *Palladias*, in Palladis honorem exstructas.

594. *Cadmeis.* Vid. not. sq. — *Orgia*, Liberi patris ceremonias et sacra; OEdip. 431: sed apud Græcos omnia sacra. Vid. Lex. Pitisc.

595. *Cistis*, canistris, quæ ferebant κανηφόροι virgines; et quæ hic vocantur *Cadmea*, quia consecrata erant Baccho; Bacchus autem Thebis, a Cadmo institutis, natus cultusque. OEdip. 435.

596. *Quum jam*, etc. Quum jam pulsato hiemali Piscium sidere, tertii anni solstitium æstivum calores induit. Virg. Æn. IV, 301: « ubi audito stimulant Trieterica Baccho Orgia »: tertio quoque anno iterata in memoriam victoriæ Indicæ Patris Liberi trienni expeditione partæ.

599. *Attica mystas..... Eleusin.* Urbs Eleusis, in Attica, sacris quibusdam, in honorem Cereris institutis, initiata. Herc. fur. 847; OEdip. vs. 431. — *Spicif. conces. Deæ claudit.* Seu occultat, seu terminat ritus certos honorandæ deæ concessos et destinatos. Gronovius hæc adnotat: « quum, finitis scilicet Eleusiniis, mysteria, quæ sacris cistis condita mystæ in pompa por-

Nunc quoque casum quemcumque times,
Fidas comites accipe fatis.
Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna ruit.
Tu quicumque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Quum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys,
Et quum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli,
Ferrumque latens : quumque in populos
Prodire parant, comes invidia est.
Noctem quoties summovet Eos,
Regem toties credite nasci.
Pauci reges, non regna colunt :
Plures fulgor concitat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipsi
Clarus latas ire per urbes :
Urit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem :
Nec tamen omnis plaga gemmiferi

tarant incedentes per publicum, referuntur et adytis clauduntur. »

601. *Comites*, nos. Vid. 584.

602. *Melior fortuna*, prosperitas.

603. *Ruit*, abit. Hor. I, Od. 35, 25 seqq.

606. *Centum*; multa, propter satellitum et ministrorum frequentiam. Virg. Georg. II, 461.

612. *Latens*, ad insidias.

613. *Parant*. Principes, reges.

614. *Noctem*. Quoties rex insidias noctis et mortem evaserit, toties novum alium nasci credite: tantum periculi regibus minantur noctes singulæ.

616. *Pauci*, plures colunt regias fortunas, quam personas.

619. *Clarus latas ire per urbes*. Incedere late per urbes cum fastu et gloria juxta regem.

622. *Gemmiferi Istri*. Lucidum adamanta fert Ister, ut auctor Dionys. Perieg. v. 318; in Virg. G. III,

Sufficit Istri; nec tota sitim
Lydia vincit; nec quæ, Zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec si totus serviat Hebrus;
Ruraque dives jungat Hydaspes;
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis natura parum est.
Colit hic regem, regumque lares,
Non ut presso vomere semper
Nunquam cesset curvus arator,
Vel mille secent arva coloni:
Solas optat, quas ponat, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes,

35o, *arenas flaventes;* i. e. aureas.

623. *Istri*, fluvii Europæ maximi, qui Danubius quoque dicitur.

624. *Lydia.* Sic omnino Claudianus, in Rufin. I, 119 sq. « non Tartessiacis illum satiarit arenis Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum; Ardebit majore siti. » Et mox, 214: « Quo, vesane, ruis? Teneas utrumque licebit Oceanum; laxet rutilos tibi Lydia fontes; Jungantur solium Crœsi, Cyrique tiara: Nunquam dives eris. » Lydia fluminibus aurea ramenta volventibus nobilis est, Hermo scilicet et Pactolo; dictum alibi: de Hermo, Papinius, Silv. III, 3, vs. 61: « Hermique vadum, quo Lydius intrat Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo. » — *Zephyro s. tellus.* Hispania, quæ zephyri flatibus obnoxia, quia occidua.

627. *Serviat.* Divitias suas obsequiose proferat. — *Hebrus.* Thraciæ fluvius est, qui Ciconas perluens, arenas volvit, ex quibus aurum colligitur. Vid. Animadv.

628. *Jungat rura*, id est, ut explicat Gron. « juncta, qua decurrit, et continuata habeat, unique domino præstet. » Alii, *cingat.*

629. *Intra suos fines.* Intra possessiones suas.

630. *Spectet.* Sic, quem nominavit auctor, vs. 621. — *Gangem*, Indiæ flumen aureas arenas trahens.

631. *Natura*, omne quod produxit natura.

633. *Non ut*, non ut multa aret, possideat, acquirat, sed ut habeat quas seponat opes.

634. *Presso vomere curvus.* Curvatus super vomerem, quem premit ad terram sulcandam.

636. *Quas ponat, opes*, id est, recondat ac mille arcis strangulet, nec ipsi, nec cuiquam alii utiles.

637. *Calcet*, ut multos premat opprimatque.

Perdatque alios, nullumque levet :
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati ?
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros enata dies.
Rarum est, felix, idemque senex.
Cespes, Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos :
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet e patula pocula fago,
Sed non trepida tenet illa manu.

640. *Quota pars moritur tempore fati?* Quam pauci moriuntur, compotes facti votorum suorum, et in eo tempore quo fatum sibi existimarent justa lege adimpletum !

641. *Cynthia*, præcedentis noctis luna, quam sequitur dies.

644. *Cespes*, terra gramine herbisque virens, purpura mollior.

645. *Impavidos*, etc. Id est, facere somnos, ut Horat. Epod. XIV, vs. 3 : «pocula Lethæos ducentia somnos.»

646. *Aurea rumpunt tecta quietem*. Regum palatia. In contrarium Claudian. III, vs. 212 : «hic mollis panditur herba, Sollicitum curis non abruptura soporem.»

647. *Trahit purpura noctes*. *Trahit noctes* est, longiores vigiliisque et tædio plenas facit, interprete Burmanno ad Propert. I, 14, 9.

650. *Brutia*. Mare Bruttium, a Bruttiis, Italiæ populis, Coro valde infestatur. Βρούττιοι quibusdam Græcis recte dicti, auctore Strabone, quia oriundi a fugitivis Lucanorum ; Lucani vero fugitivos Βρεττίους appellabant. Stephanus etiam sic nominat : nam in Βρέττος et in Βρουτία, tradit Brutios dici qui in Sicilia Brutiam urbem incolunt; Brettios autem in Italia dictos ab urbe Bretto, quam condidit Brettus, Herculis filius : et ab hac totam Italiam Antiocho dictam Brettiam : Βρέττιοι etiam Aristophani noti ex fr. ap. Steph. servato, et Dion. Periegeti. Sic enim rectius quidam libri, quam alii, qui Βρέντιοι.

653. *Tenet*. Cui *terra rubens crater, pocula fagus* securitatem præstant. Ovid. Fast. V, 522.

Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.
Conjux modico nupta marito
Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda;
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Mæonia distinguit acu,
Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.
Quælibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ nevere manus:

655. *Faciles cibos.* Farnabius interpretatur dapes inemtas. Male. Ita enim dictæ, quæ in hortis nascuntur dapes. Virg. Georg. lib. IV, 133: « dapibus mensas onerabat inemtis. » At *faciles* cibi, sunt « facile parabiles, ut quorum magna copia. » Unde, *facillime agere*, apud Terent. Adelph. 503 (Ed. nost. vol. II, p. 73) est, in copia et abundantia rerum vivere. »

656. *Non strictos respicit enses.* Horat. Od. III, 1, 17: « Destrictus ensis cui super impia Cervice pendet, non Siculæ dapes Dulcem elaborabunt saporem. »

657. *Aurea miscet pocula sanguis.* Hellenismus est. Letum seu letale venenum aureis miscetur poculis.

659. *Disposito monili.* In monili per artem disposito.

660. *Clara dona*, gemmas.— *Rubentis*, Erythræi maris. Thyest. 371.

661. *Detrahit*, pondere et magnitudine sua deprimit ac deducit. De ornamentis loquitur muliebribus, quæ *inaures* vocat Ulpianus, l. 26, D. de auro et arg. Leg.

664. *Repetita*, dibapha, Tyrio bis murice tincta.

665. *Nec Mæonia distinguit acu.* Et illa conjux non gestat serica vestimenta, præsertim feminis Mæoniis elaborata.

666. *Phœbeis*, orientalibus.

667. *Ser.* Cf. Thyest. v. 379. Quia apud Seres, ut refert Ammianus, lib. 23, c. 6, ad fin. silvæ sunt sublucidæ, a quibus arborum fetus, aquarum crebris asperginibus, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine et liquore mixtam quamdam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtemina, conficiunt sericum. De hoc populo Scythiæ Asiaticæ vid. Plin. et Virg.

Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dira lampade Erinnys,
Quorum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patrioque puer constitit axe,
Nec per solitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignota secat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cæli dum sulcat iter,
Tenuit placitas Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto:
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phœboque volat

670. *Non dubios*, non suspectos adulterii, vel repudium timentes.

671. *Sequitur.* Sed discors Furia inauspicata tæda nuptiali (Phœniss. vs. 263 et 507), vel face furiali (Herc. Fur. 87) eorum thalamos persequitur, quorum natales publica lætitia celebrantur; id est, principum.

672. *Quarum.* Scilicet et Augustarum dies colebantur, et de conjuge principis dicuntur illi superiores versus.

673. *Nec sibi*, etc. et Rursus, pauperes, i. e. qui angusta paupertate pressi sunt, nullam felicitatem capiunt, nisi quum vident cecidisse fortunatos. Quod quidem alterum est genus infelicitatis, *invidere habenti.* Virg. Georg. II, 499. Ergo mediocritas sola, a principum pariter et egenorum sorte distans, felix dici potest. Horat. Carm. II, 10, 5.

677. *Unum præbere diem.* Dispensare mundo lucem unius diei.

678. *Puer*, Phaethon.

683. *Cæli*, etc. Vid. Animadv.

684. *Placitas oras.* Id est, Cumas, quæ in Italia.

685. *Nullique*, etc. quod fecit filius ejus Icarus.

686. *Volucres vincere veras.* Altius volitare, quam volucres veræ.

688. *Despicit.* Altius subvectus, patrem infra volitantem videt. — *Phœboque*, cujus calore liquefacta alarum cera, ipse in mare decidit.

Proximus ipsi, dedit ignoto
Nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusque sonet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis litora puppis;
Nec magna meas aura phaselos
Jubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quærit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid pavido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Mænas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rursus fortuna rotat,
Miseranda, refer: licet ipsa neges,
Vultus loquitur, quodcumque tegis.

689. *Dedit ignoto*, etc. Vid. OEd. vs. 898; Ovid. Met. VIII, 230; Horat. Carm. IV, 2, 3.

692. *Sonet*. I. e. audiat, et ore omnium prædicetur.

694. *Stringat*, i. e. radat, legat vicina terræ litora. Virg. Æn. V, 163: « stringat palmula cautes. »

695. *Magna aura*. Flatus violentior prosperæ fortunæ.

698 sq. *Medioque rates*, etc. Naves quæ secundis ventis et plenis velis navigant, fortuna quærit, ut demergat: quæ vero remis circa sinus tutos propelluntur, et metu tempestatis se non audent alto credere, illas præterit. — *Suppara*, velorum summæ partes.

701. *Qualis Baccho saucia Mænas*: quæ vino incensa et furens (παρὰ τὸ μαίνεσθαι) capillis sparsis cursitabat huc illuc cum incondito ululatu: hinc Priapi Mænades vocat mulieres libidinosas Juvenal. Sat. VI, 316. Vid. Animadv.

702. *Regina*, Dejanira.

ACTUS TERTIUS.

DEJANIRA, CHORUS.

DEJAN. VAGUS per artus errat excussos tremor.
Erectus horret crinis : impulsis adhuc
Stat terror animis, et cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.
Ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies :
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profecto premere felices Deus
Quum cœpit, urget : hos habent magna exitus.
CHOR. Quis tam impotens, o misera, te casus rotat?
DEJAN. Ut missa palla est, tabe Nessea illita,
Thalamisque mœrens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, et fraudem strui.

Act. III, sc. I. Dejaniram, periculo veneni ad solem expositi flammasque concipientis facto, consilii sui pœnitet.

706. *Vagus tremor.* Virg. Æn. II, 120 : « Gelidusque per ima cucurrit ossa tremor. »

707. *Erectus.* Commeante scil. ad cordis (quod corporis arx est) subsidium calore, externa algescunt, pili horrescunt, etc. Sic *arrectæ horrore comæ stant*, in Virg. Æn. II, 774; III, 48; IV, 280; XII, 868.

708. *Cor attonitum.* Καρδίας παλμὸς, qui inter divinationes salitorias.

711. *Dies*, tempestas.

713. *Semel profecto.* Vid. Anim.

714. *Hos habent.* Conatus grandes, anxios plerumque et calamitosos habent exitus.

718. *Et fraudem strui.* Timui ne fraus esset structa a Nesso, dum hoc philtrum commendaverat. Baden. supplet, *dixi*. Sic Phædr. Fab. I, XXIX, v. 10 : « Repressit iram, et, facilis vindicta est mihi. » Subaudi

Libet experiri : solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit dolus.
Et forte nulla nube respersus jubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem
(Vix ora solvi patitur etiam nunc timor):
Medios in ignes solis, et claram facem,
Quo tincta fuerat palla, vestisque illita,
Abjectus horret sanguis, et Phœbi coma

dixit. Nihil hac ellipsi proclamat esse frequentius.

719. *Libet experiri*. Postquam toga fatalis jam fuerat Herculi missa. — *Solibus*. Supra vs. 531.

720. *Arcuit*. Prohibuit.

721. *Dolus*. Vid. Animadv. ubi alii legunt *Deus*, et intellige : « Hic ipso dolo me deceptam intellexi a Nesso. » Scilicet in eo versatus fuerat Nessi dolus, ut vetaret virus illud Phœbi radiis expositum, veritus ne qua apparerent prodigia, Dejaniram, ne hoc uteretur veneno, præmonitura.

722. *Et forte*. Puto versus aliquot deesse. Unde enim colligit venenum esse ? Summa quippe omnium huc redit, sanguinem a sole liquefactum fuisse : et hinc colligit venenum se misisse. Atque hinc terror ille, quem infelix concepisse animo se prædicat. Sed quod hic indicium δηλητηρίου est ? Quam vero longe hæc aliter tragœdiæ princeps! Primo, ait, lanam, qua peruncta vestis a se fuerat, corrosam ac consumtam plane a sanguine fuisse : deinde guttas sole liquefactas, in terram collapsas spumasse ac efferbuisse : postremo tela Herculis, quibus interfectus fuerat Centaurus, δηλητηρίῳ tincta, atque idcirco omnia animalia istis percussa illico exspirare. Hoc igitur veneno dubitari non potest, quin infectus fuerit Centauri sanguis, qui iisdem fuerat percussus. Ergo tremit, ergo pavet, ergo magis atque magis metuit, quod fecerat. Heins. — Respondebimus Heinsio, quædam tamen miracula indicari, quæ poterant incutere pavorem, 736, et præsert. vs. 737, 738.

723. *Laxabat*. Bene indicat medium diei.

725. *Medios in ignes*. Totum versum vertit ex græco Soph. Tr. vs. 684, ἐς μέσην φλόγα Ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν. — Totum hoc sic construe : abjectus sanguis, quo palla fuerat tincta et vestis illita, in medios ignes et claram facem solis, horret et ardet tepefactus coma Phœbi. — *Illita in ignes*. I. e. ad ignes, sub ignibus.

726. *Palla*, alia palla ; vel qua induebatur, vel quam manu gestabat.

727. *Abjectus sanguis*. Nessi sanguis Hydræ felle, quo tinctæ fuerant Herculis sagittæ, mixtus. Vid. Anim. — *Coma*, radiis. Hip. 754. Sophocles ita rem pingit : lana usam fuisse Dejaniram in ungenda veste : et in narratione vocat οἰὸς

Tepefactus ardet : vix queo monstrum eloqui.
Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;
Utque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, et lassus tumor
In litore ipso spumat; aut cælestibus
Aspersa tepidis tura laxantur focis :
Sic languet omne vellus, et perdit comam :
Dumque ipsa miror, causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quidquid illa tabe contactum est, labat.
(Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.)

εὔειρον πόκον, et μαλλὸν et κτησίου βοτοῦ λάχνην, et τὸ κάταγμα τῆς οἰός· quam quum post usum vestemque in arcano tactam forte abjecisset εἰς τόπον βαλλόμενον καὶ πυρούμενον ὑπὸ τοῦ ἡλίου, diffluxisse et in pulverem comminutam interiisse; super terram autem, in qua jacuerat, spumas θρομβώδεις efferbuisse.

730. *Mimas*, Ioniæ mons nivosus. Strabo vocat εὔθηρον, καὶ πολύδενδρον, Homerus καρηκομόωντα, Tragicus noster *lubricum*, propter nives liquescentes. Notum est somnium Valentis imperatoris, quo quum admoneretur, ut a Mimante caveret, sui eum familiares de hoc monte alio tulerunt. Sed in eo, quo periit, tugurio inventum marmor, quod Mimantis cujusdam appellationem inscriptam habebat, qui præfectus Macedonum fuerat. Mimas unus exstitit e Centauris, ut est apud Herodotum : item unus e Gigantibus, qui monti huic nomen imposuisse creditur : de quo in Ione Euripides. Silius Italicus, lib. XII, vs. 147 : « Apparet Prochyte, sævum sortita Mimanta. » Hic premitur Prochyte insula, ut ait Silius : totam insulam Lemnon in Deos conjecit, ut Claudianus : non temere Horat. Carm. lib. III, od. IV, 53 : « Tiphoeus et validus *Mimas*. » Cf. Herc. fur. vs. 981.

732. *Leucas*, est hic insula. Leucadia est regio Acarnaniæ; Leucas hujus regionis urbs Straboni et Plinio; Leucates vero in eadem promontorium, Virgil. Æn. lib. III, 274; sed hæc sæpe confunduntur. — *Lassus tumor*, unda tumefacta, et quæ, maritimo motu quasi lassa, exspirat ad littus cum multa spuma. Claud. C. III, vs. 72.

734. *Laxantur*; resolvuntur igne in fumidos vapores.

735. *Languet*. Dicitur *languere* vellus sive *lana*, quæ tincta Nessi cruore, expositaque soli, vi inflammati veneni sensim dissoluta lanuginem amittit.

736. *Dumque ipsa miror*. *Ipsa* dicit, quo magis rei fides constet. — *Causa*, lana illa.

Natum paventem cerno et ardenti pede
Gressus ferentem : prome, quid portes novi.

HYLLUS, DEJANIRA, NUTRIX.

HYL. I, profuge, quære, si quid ulterius patet
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis :
Ultra labores, mater, Alcidæ fuge.
DEJAN. Nescio quod animus grande præsagit malum.
HYL. Regna, triumpha, templa Junonis pete :
Hæc tibi patent; delubra præclusa omnia.
DEJAN. Effare, qui me casus insontem premat.
HYL. Decus illud orbis, atque præsidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Jovis,
O mater, abiit : membra, et Herculeos toros
Urit lues nescio qua : qui domuit feras,
Ille, ille victor vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris ultra? DEJAN. Miserias properant suas
Audire miseri : fare, quo posita in statu
Jam nostra domus est : o lares, miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!
HYL. Non sola mœres. Hercules toto jacet
Mundo gemendus : fata ne, mater, tua
Privata credas : jam genus totum obstrepit.
Hunc, ejulatu quem gemis, cuncti gemunt.

741. *Prome.* Juvenem properat adloqui Dejanira.

Act. III, sc. II. Postquam intellexit funesti muneris malum, Dejanira sibi mortem consciscit.

742. *Ulterius terris.* Remotum ultra terras.

744. *Labores*, regiones Herculis laboribus insignes.

746. *Regna, triumpha, templa Junonis pete.* Sarcasmus : triumpha quasi re strenue gesta : sacrifica, sed Junoni soli, cui Herculis mors læta obtigit, cæteris Diis mœsta. Inf. vs. 1547.

751. *Toros.* Lacertos et artus tam prævalidos.

760. *Genus*, humanum genus.

Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupasti : prima, non sola Herculem
Miseranda mœres. DEJAN. Quam prope a leto tamen,
Ede, ede, quæso, jaceat Alcides meus.
HYL. Mors refugit illum, victa quæ in regno suo
Semel est : nec audent fata tam vastum nefas
Admittere : ipsas forsitan trepida colos
Clotho manu projecit, et fatum Herculis
Timet peragere : proh diem! infandum diem!
Hocne ille summo magnus Alcides erit?
DEJAN. Ad fata et umbras, atque pejorem polum
Præcedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare? fare, si nondum occidit.
HYL. Euboica tellus vertice immenso tumens
Pulsatur omni latere. Phrixeum mare

766. *Victa.* Ab eodem Hercule ad inferos descendente. — Adnotat interpres gallicus, totum hunc locum fere intractabilem esse, et quem non infeliciter sibi videtur intellexisse : « La mort, qu'il a déja vaincue dans son propre empire, n'ose le frapper, le destin tremble de commettre un si grand crime, Clothon elle-même a jeté sa trame et craint de l'achever. O jour, funeste jour ! seras-tu le dernier terme de la vie du grand Alcide! Alcide devait-il mourir ! »

768. *Ipsas colos.* Explica, severas illas, non revocabiles colus. Incertus poeta, in Analectis vet. poet. Græc. tom. III, pag. 275 : Δίου Ὀρειβασίοιο, τὸν ἀθανάτην διὰ τέχνην Πολλάκι δειμαίνουσα μίτους ἀνεβάλλετο Μοίρη.

769. *Clotho.* E tribus Parcis illa quæ colum tenet. Herc. Fur. 558.

771. *Hocne ille summo*, etc. Num hic summus, ultimus erit dierum, per quos debuit esse, vivere magnus ille Alcides?

772. *Pejorem*, deteriorem polum, nigrum. I. e. ad inferos.

775. *Euboica.* Sophocles illud in Trachiniis adumbrare voluit, vs. 762 : Ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον Κήναιόν ἐστιν· nec tamen consequitur, neque vera est hæc Eubœæ descriptio. Capharei enim promontorium ad occasum, nec dici potest *aquilonis minas pati.*

776. *Pulsatur omni latere.* Eubœa Bœotiæ objacet non recta, sed obliqua : et hinc evenit, ut idem Euripus, qui ab occasu alluit insulam, etiam ab Aquilone intrantes aquas recipere et emittere videatur, et similiter Caphareus Orientem spectans respectu OEnei promontorii, etiam in Austrum inclinatus appa-

Scindit Caphareus : servit hoc Austro latus.
At qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemque cursus volvit, et totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano juga.
Hic rupe celsa, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cenæi Jovis.
Ut stetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tauris gemuit auratis nemus;
Spolium leonis sordidum tabo exuit,
Posuitque clavæ pondus, et pharetra graves
Laxavit humeros : veste tunc fulgens tua,
Cana revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. « Accipe has, inquit, focis
« Non false messes genitor, et largo sacer
« Splendescat ignis ture, quod Phœbum colens
« Dives Sabæis colligit truncis Arabs.

reat. Tabulæ inspectæ rem clare demonstrant. Gron.

777. *Caphareus.* Mons præcelsus, idem et, ut diximus, in Eubœa promontorium, adversus quod Nauplius, ut Palamedis ab Ulysse occisi pœnas repeteret, advertit Græcorum classem, accensis luminibus, dum redirent Troja. Naves autem ad scopulos allisæ perierunt.

779. *Euripus.* Herc. Fur. 377.

780. *Septemque.* Consentit in numero Strabo, si recte intelligatur : Antiphilus Byzantius quodam epigr. An. t. 2, p. 178, n. 32, senarium prodidit : alii alium, et fortassis ab his omnibus certus pro incerto positus.

781. *Mergat.* Herc. Fur. vs. 25.

782. *Rupe celsa.* Jovi in summis montibus sacra facere solemne, utpote Deorum summo.

783. *Cenæi.* In Cenæo Eubœæ promontorio culti. Cf. ad Ovid. quem jam citavimus supra, vs. 102, not.

788. *Veste tua,* Palla a te missa, per Lichan, vs. 571, sup.

789. *Cana,* alba populo. Conf. Herc. Fur. vs. 892.

791. *Has messes,* hæc tura, cinnamoma, hos odores. — *Non false genitor.* Ita has messes accipe, ut appareat non falsum esse, quum te patrem meum prædico.

792. *Phœbum,* solem orientem adorans, vel orientalis. Vid. Troad. vs. 10.

793. *Dives Sabæis colligit truncis Arabs.* Distinguuntur hic Arabes et Sabæi, ut genus et species. Omnes Sabæi sunt Arabes, non omnes Arabes Sabæi. Virg. G. I, 57.

«Pacata tellus, inquit, et cælum, et freta;
«Feris subactis omnibus victor redii.
«Depone fulmen.» Gemitus in medias preces,
Stupente et ipso, cecidit: hinc cælum horrido
Clamore complet: qualis impressa fugax
Taurus bipenni vulnus et telum ferens,
Delubra vasto trepida mugitu replet;
Aut quale mundo fulmen emissum tonat;
Sic ille gemitus sidera et pontum ferit:
Et vasta Chalcis sonuit, et voces Cyclas
Excepit omnis: hinc petræ Capharides,
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus: vulgus antiquam putat
Rabiem redisse: tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus ignea torquens face,
Unum inter omnes quærit et sequitur Lichan.
Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu consumsit, et parum suî
Pœnæ reliquit; dumque tremebundum manu

796. *Depone.* Neque enim illo opus est, subactis a me tyrannis.

798. *Qualis impressa fugax.* Virg. Æn. II, 223. «Quales mugitus fugit quum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervice securim.» — Hanc similitudinem ab Ovidio cepit, qui Metam. IX, 205 sq. «Haud aliter graditur, quam si venabula taurus Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.»

803. *Cyclas.* Cyclada et Capharidas subjungit. — Novem, teste Hygino et Strabone, insulæ Sporades vel Cyclades dictæ, quia Delum coronæ et circuli instar cingunt. Auctor Ammianus, XXII, 8. Multa de his Thevetus, Cosmogr. lib. VII, cap. 12 et 14. — *Capharides.* Infamis naufragio Græcorum scopulus. Thyest. 595.

806. *Vulgus*, adstantium. — *Antiquam.* Qua correptus Megaram et filios interemerat.

808. *Vultus ignea torquens face.* Oculos ardentes volvens.

809. *Lichan*, ministrum, qui tunicam attulerat.

811. *Consumsit*, metu pæne exanimatus et mortuus. Hoc imitatus est Statius, Thebaid. X, vs. 563: «consumsit ventura timor.» — *Parum suî.* Dicitur, ut apud Lucan. II, 128: «... parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo.» Ubi vide nost. ed. Vol. I, p. 154. Ed.

Tenuit cadaver : « Hac manu, inquit, hac ferar
« O fata! victus? Herculem perimit Lichas.
« Ecce alia clades, Hercules perimit Lichan.
« Facta inquinentur : fiat hic summus labor. »
In astra missus fertur, et nubes vago
Spargit cruore : talis in cælum exsilit
Arundo, Getica visa dimitti manu;
Aut quam Cydon excussit; inferius tamen
Et tela fugient : truncus in pontum cadit;
In saxa cervix : funus ambobus jacet.
« Resistite, inquit : non furor mentem abstulit.
« Furore gravius istud atque ira malum est.
« In me juvat sævire ». Vix pestem indicat,

813. *Tenuit cadaver.* I. e. morti vicinum. Lucan. III, 720 : « ... ingentem militis usum Hoc habet ex magna defunctum parte *cadaver.* » Seneca, Epist. 70 : « omnes enim necessarii (Drusum) deseruerant impie, jam non reum, sed *funus :* » pro, qui animam projicere parabat.

814. *Lichas*, vilis famulus.

815. *Ecce alia.* Ecce alia non minor indignitas! ego, ille monstrorum domitor Hercules, perimo vilissimum servitium Lichan.

816. *Inquinentur*, tam contemti famuli cæde. — *Fiat hic summus labor.* Age, quando aliter vindicari non possumus, inuratur hæc macula operibus meis, et fuerit illorum Lichas accessio. Infra, 1454 : « Dextra inquinetur : laudibus maculam imprimam. »

818. *Spargit.* Irrigat.

819. *Getica.* Getæ, populi Scythiæ Ponto vicini, sagittandi peritissimi. Farn. — Getas arcu et sagittis usos nescit nemo, qui vel Pontica, vel Tristia Nasonis legerit. Dionysius Getas ad Istrum statuit, et mox illos cum Dacis et Germanis mire confundit. Apollonius etiam juxta Istrum collocavit. Thraces esse voluit Herodotus, eumque sequuntur Latini poetæ : nam et Noster alibi *Hebrum Geten* vocat ab accolis, et Ovidius semper cum Bessis (qui Thraces origine) et Sauromatis conjungit; et Virg. Georg. IV, 463. Melius distinxere Strabo et Stephanus, ut Getæ magis orientales sint Ponto vicini : Daci ad Istri fontem, et Germaniam vergant. Vide et Stephanum.

820. *Cydon*, Cretensis, ab urbe Cydone. Vid. Hipp. vs. 812.

821. *Inferius*, altius tamen Lichas projectus, quam arundo Getica vel Cydonia. Pro eo, quod ait Ovidius, eamdem rem narrans, Met. IX, vs. 217 : « Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas. » — Vid. Animadv.

822. *Funus.* Reliquiæ cadaveris.

825. *In me*, non in alios, ut

Et sævit : artus ipse dilacerat suos,
Et membra vasta carpit avellens manu.
Exuere amictus quærit : hoc solum Herculem
Non posse vidi : trahere conatus tamen,
Et membra traxit : corporis palla horridi
Pars est, et ipsam vestis immiscet cutem.
Nec causa diræ cladis in medio patet :
Sed causa tamen est; vixque sufficiens malo
Nunc ore terram languidus prono ferit;
Nunc poscit undas : unda non vincit malum.
Fluctisona quærit litora, et pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus.
O sortem acerbam! fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum litore Euboico refert,
Austerque lenis pondus Herculeum rapit.

quondam furens sævire solebam. —*Pestem*, virus.

828. *Hoc solum*, non posse amictus exuere.

830. *Et membra*. « Qua trahitur trahit illa cutem, etc. » Ovid. Met. IX, 167. — *Palla corporis*, etc. Non aliter adhæret ac si corporis pars esset.

833. *Sed causa tamen est; vixque sufficiens malo*, etc. *Que* hic, ut sæpe, transitioni servit. — *Vix sufficiens*, id est, pæne succumbens malo, de Hercule intelligendum esse, docet ipse, qui sic fatur infra vs. 1230 : « Defecit ingens corpus, et pesti satis Herculea non sunt membra. » Scilicet idem est *malo sufficere* et *pesti satis esse*. Curtius, VIII, 4 : « Nec ulla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescebant. » Aristænetus, Epist. I, 23 : Δύο δειvοῖς ἅμα περιπέπτωκα· φίλε, καὶ πρὸς ἓν τούτων μόλις ὁποτερονοῦν διαρκῶν, ἐξ ἐπιμέτρου θάτερον ἔχων καὶ διπλάσια δυστυχῶ. Adde quæ notavimus ad vs. 738 hujus tragœdiæ. Bad.—Quam ut admisimus Badenii interpretationem, ita debuimus citare Gronovium qui explicat : « Sed causa tamen est, *visque sufficiens malo*. » Causa pestis illius haud apparet : sed est tamen, et est quoque vis satis magna ad corpus vexandum et perimendum. Esse apparet efficacia in exitium. Vid. Both. ad h. l. in Animadv.

835. *Unda non vincit*. Hyginus, in Parerg. Herculis, de hac re ait : « quum se in flumen conjecisset, ut ardorem exstingueret, major flamma exibat. »

838. *Pares*, postquam illi vires ademisset virus. Potuimus illi manus injicere, eumque ita continere, ut navi imposuerimus.

DEJAN. Destituit animus membra, nox oculos premit.
Quid, anime, cessas? quid stupes factum scelus?
Natum reposcit Juppiter, Juno æmulum.
Reddendus orbi est: quod potest reddi, exhibe.
Eat per artus ensis exactus meos.
Sic, sic agendum est: tam levis pœnas manus
Tantas reposcit? tolle fulminibus, socer,
Nurum scelestam: nec levi telo manus
Armetur: illud fulmen exsiliat polo,
Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,
Hydram cremasses; pestem ut insolitam feri,
Et ut noverca pejus irata malum.
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaethonta missum est: perdidi sola Herculem,
Et ipsa populos; quid rogas telum Deos?

843. *Æmulum*, a Junone immissa monstra et labores vincentem; Ἥρας κλέος.

844. *Quod potest reddi*. Mortis meæ piaculum.

846. *Levis*, est imbellis, muliebris. Negat Dejanira manum suam esse parem inferendis pœnis quas ipsa meruit. Itaque invocat manum Jovis fulminantis.

847. *Socer*, Jupiter.

848. *Nurum*, me.—*Nec levi telo*. Fulminum alia graviora, leviora alia: illius generis est, quo Phaethon et Gigantes interemti leguntur: istius quo Semele combusta fuit. Ovid. Met. III, 303: « nec quo Centimanum dejecerat igne Typhoea, nunc armatur eo, nimium feritatis in illo est: Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ: Tela secunda vocant Superi. » Huc respexit Seneca tum hic, tum in Thyeste vs. 1081 sqq. ita scribens: « Manuque, non qua tecta et immeritas domos Telo petis minore, sed qua montium Tergemina moles cecidit, et qui montibus Stabant pares Gigantes, hæc arma expedi. » Ubi Tergemina moles dicitur, Olympus, Ossa et Pelion.

851. *Hydram*, quam Hercules exstinxit. Herc. Fur. 241.— *Feri*. Percute me, Junone illi nocentiorem et funestiorem.

853. *Quale*. « Ubi sævos compescuit ignibus ignes. » Ovid. Met. II, 313.

854. *Perdidi sola Herculem*. *Sola* dicit propter illud *noverca pejus irata malum*. Sup. vs. 440, nutrix ad Dejaniram: « Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum? » Infra, vs. 940, Dejanira: « Juno non ausa Herculem est Eripere terris. »

855. *Et ipsa populos*, ad Phaethonta spectat. Ovid. Met. II, vs. 215,

Jam parce socero : conjugem Alcidæ necem
Optare pudeat : hæc erit voto manus ;
A me petatur : occupa ferrum ocius.
Cur deinde ferrum? quidquid in mortem trahit,
Telum est abunde : rupe ab ætherea ferar.
Hæc, hæc renatum prima quæ poscit diem,
Œta eligatur : corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, et partem mei
Ferat omne saxum : pendeant laceræ manus,
Totumque rubeat asperi montis latus.
Levis una mors est : levis, at extendi potest.
Eligere nescis, anime, cui telo incubes.
Utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis ! huic decet ferro immori.
Una perire dextera nobis sat est?
Coite gentes : saxa et incensas faces
Jaculetur orbis : nulla nunc cesset manus.
Corripite tela : vindicem vestrum abstuli.
Impune sævi sceptra jam reges gerent.
Impune jam nascetur indomitum malum.

in ejus fabula : « magnæ pereunt cum mœnibus urbes : Cumque suis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt. »

856. *Socero*, Jovi, ne impendat tibi fulmen.

857. *Hæc erit voto*, id est, pro voto : mea manus me interficiet.

859. *Cur deinde ferrum*. Sic etiam loquitur infra vs. 1408 : « Cur deinde latebras aut fugam vecors petam? »

861. *Prima quæ poscit diem*. Quæ vult et debet prima illustrari sole.

862. *Œta eligatur*. Mons in finibus Thessaliæ.

868. *Fixus*. Dido in lib. IV, vs. 495, Æneid. « Arma viri thalamo quæ fixa reliquit. » — *In thalamis*. Theocritus, XXIV, vs. 42, de Amphitryone : Δαιδάλεον δ' ὥρμησε μετὰ ξίφος, ὅῤῥ' οἱ ὕπερθε Κλιντῆρος κεδρίνω περὶ πασσάλω αἰὲν ἄωρτο.

871. *Saxa*, etc. Sup. vs. 32.

872. *Nulla nunc cesset manus*. *Nunc*, id est, quum de morte Evergetæ et Soteris ulciscenda agatur. Ovid. Met. VII, vs. 332 : « quid nunc dubitatis inertes? » Ubi vide Burmann. particulæ vim bene explicantem.

874. *Impune*. Sublato tyrannorum vindice ac monstrorum domitore Hercule.

Reddentur aræ cernere assuetæ hostiam
Similem colenti : sceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Sævisque, rapto vindice, opposui Deis.
Cessas, Tonantis socia? non spargis facem,
Imitata fratrem, et mittis ereptam Jovi?
Meque ipsa perdis? laus tibi erepta inclita est,
Ingens triumphus : æmuli, Juno, tui
Mortem occupavi. NUTR. Quid domum impulsam trahis?
Erroris est hoc omne, quodcumque est, nefas.
Haud est nocens, quicumque non sponte est nocens.
DEJAN. Quicumque fato ignoscit, et parcit sibi,
Errare meruit : morte damnari placet.
NUTR. Nocens videri, qui mori quærit, cupit.
DEJAN. Mors innocentes sola deceptos facit.

876. *Aræ cernere assuetæ*, innuit « illaudati Busiridis aras. » Herc. Fur. vs. 484. Virg. G. III, 5.

877. *Similem colenti*, et ideo humanam.

878. *Ego vos*, mortales.

879. *Opposui*, exposui.

881. *Imitata*. Herc. Fur. 457.

882. *Laus tibi*. Quam petebas gloriam et triumphum ex interfecto Hercule, ego præripui tibi.

884. *Quid domum impulsam trahis?* Cur te et genus tuum in ruinam et excidium sponte impellis et trahis? ignara fecisti.

887. *Quicumque fato ignoscit*. Phrasi eadem utitur infr. vs. 983 : « . . . parce jam, mater, precor, *Ignosce fatis* : error a culpa vacat. » *Fato ignoscit*, qui delictum, fati culpa commissum, non vindicat; eique contrarium est *fata damnare sua*, vs. 900; quod et aliis modis effertur, Herc. Fur. vs. 1238; Phœniss. 452, 538 et 555. Huc autem pertinet Senecæ patris illud Controv. 23 : « est quædam proxima innocentiæ verecundia præbere se legibus. » Exemplum habet Valerius Maximus, V, 6, 4 : « Miles in castris Pompeii, quum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset, jacentemque spoliaret, ut fratrem germanum esse cognovit, eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti vivere; sed, ut sua potius pietate, quam aliena venia uteretur, comes fraternæ neci non defuit. »

889. *Qui mori quærit*, id est, cogitat, cupit. Propertius, II, 2, 5 : « Liber eram, et vacuo quærebam vivere lecto. » Ubi vide Criticos.

890. *Mors*. Mors sola approbat eos esse innocentes, qui per errorem peccarunt.

NUTR. Titana fugies? DEJAN. Ipse me Titan fugit.
NUT. Vitam relinques misera? DEJ. At Alciden sequar.
NUTR. Superest, et auras ille cælestes trahit.
DEJAN. Vinci Hercules quum potuit, hinc cœpit mori.
NUTR. Natum relinques, fataque abrumpes tua?
DEJAN. Quamcumque natus sepelit, hæc vixit diu.
NUTR. Virum sequeris? DEJAN. Prægredi castæ solent.
NUTR. Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.
DEJAN. Nemo nocens sibi ipse pœnas abrogat.
NUTR. Multis remissa est vita, quorum error nocens,
Non dextra, fuerat: fata quis damnat sua?
DEJAN. Quicumque fata iniqua sortitus fugit.
NUTR. Hic ipse Megaren nempe confixam suis
Stravit sagittis atque natorum indolem,
Lernæa figens tela furibunda manu.
Ter parricida factus ignovit tamen

891. *Fugit.* Non sustinet me sceleratam contueri.

893. *Superest.* Conditioni mortali est superstes.

894. *Vinci.* Ubi primum cedere cœpit Nesseo veneno, tum mori cœpit; ergo, non superest.—*Hinc*, ex hoc momento.

896. *Hæc*, mater.

897. *Sequeris*, morte.

898. *Misera*, ream sceleris et causam mortis.

899. *Nemo nocens sibi ipse pœnas abrogat.* Quum dixisset nutrix: ipsa te pro accusata et convicta traduces, si quasi de damnata supplicium sumas: recte, inquit, dicis: ideo sumere debeo, quia me convictam intelligo et damno: nec quisquam est noxius, quin se ipse condemnet, quin debere se supplicium agnoscat. Nimirum apud conscientiæ tribunal se judice nemo nocens absolvitur, ut canit Juvenalis, Sat. XIII, 3. Et Seneca de Ira, I, XIV: « Nemo invenitur, qui se possit absolvere, et innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam. » Isidorus etiam lib. II, de Summo Bono: « omnia fugere homo potest, præter cor suum; non enim potest a se quisquam recedere: ubicumque erit, conscientia reatus sui non illum derelinquit. » Vid. Animadv.

902. *Fata iniqua*, mortem petit, ut iniqua fata fugiat, vel vindicet.

904. *Natorum indolem*, natos ex Megara. Hellenism. μένος Ἀλκινόοιο.

905. *Lernæa*, sagittas Hydræ felle tinctas. — *Figens.* Vid. Animadv.

906. *Ter parricida.* Tres natos occiderat, vel, ut alii, duos cum uxore. Conf. Herc. Fur. vs. 1015 et seqq.

Sibi : nam furoris fonte Cinyphio scelus
Sub axe Libyco tersit, et dextram abluit.
Quo misera pergis? quid tuas damnas manus?
DEJAN. Damnat meas devictus Alcides manus.
Placet scelus punire. NUTR. Si novi Herculem,
Aderit cruenti forsitan victor mali,
Dolorque fractus cedet Alcidæ tuo.
DEJAN. Exedit artus virus, ut fama est, Hydræ.
Immensa pestis conjugis membra abstulit.
NUTR. Serpentis illi virus enectæ autumas
Haud posse vinci, qui malum et vivum tulit?
Elisit Hydram, dente quum infixo stetit
Media palude victor, effuso obrutus
Artus veneno : sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridas Nessi manus?
DEJAN. Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
Proinde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicumque cum Alcide occidit.
NUTR. Per has aniles ecce te supplex comas,
Atque ubera ista pæne materna obsecro,
Depone tumidas pectoris læsi minas,
Mortisque diræ expelle decretum horridum.

907. *Furoris scelus.* Furorem scelestum. — *Cinyphio*, Africæ fluvio inter duas Syrtes : innuere autem videtur Jovis Ammonis montem; sed Athenis, *quæ faciunt innocentes*, Herculem expiasse dictum. Herc. Fur. 1344.

908. *Sub axe Libyco tersit.* Hic, jam non secum consentit poeta, siquidem, Herc. Fur. vs. 1341, dixit Herculem, postquam Megaren et liberos occidit, Athenas se contulisse, ut scelus expiaret.

911. *Scelus*, vel meum, vel Nessi; a quo licet decepta, pœnas a me lubet exposcere.

912. *Aderit.* Hercules evincet Nesseum hoc virus, ut alia pleraque mala.

915. *Immensa pestis.* Virus insuperabile.

917. *Malum et vivum.* Monstrum, etiam dum viveret.

919. *Effuso.* Membra habens suffusa veneno, quod in illum evomuit Hydra.

925. *Per has.* Vid. Hippol. vs. 246, ubi nutrix idem precatur.

DEJAN. Quicumque misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est : interim pœna est mori :
Sed sæpe donum in pluribus veniæ fuit.
NUTR. Defende saltem dexteram, infelix, tuam,
Fraudisque facinus esse, non nuptæ, sciant.
DEJAN. Defendar illic : inferi absolvent ream.
A me ipsa damnor : purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas,
Et umbra tristis conjugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem : scelera quæ quisque ausus est,

926. *Pœne.* Magnam enim habet matris partem nutrix.

930. *Interim p.* interdum. Vid. vs. 486. Accipias manere omnia, Dejaniræ per occupationem dicta : fateor, interdum mori pœna est, quum scilicet cogitur mori qui detrectat; sed sæpe donum vel beneficium, quum permittitur volenti et desideranti : et multis concessa est mors pro venia. Hoc postremum alludit ad eos quibus liberum mortis permittebatur arbitrium. Vid. Animadv.

931. *Donum pluribus veniæ fuit. Donum veniæ fuit*, id est, beneficii et gratiæ loco concessum est. Sen. de Ira, I, 16 : « interim optimum misericordiæ genus est, occidere. » *In pluribus* dicitur pro, in plures, erga plures. Thyest. vs. 220 : « Fas est *in illo*, quidquid in *fratre* est nefas. » Ubi vide.

932. *Defende.* Sed dextram tuam ab omni suspicione purga, quæ, prius decepta, alienæ fraudis ministra tantum fuit.

933. *Sciant.* Nempe homines. Si statim morieris, famam corrumpes et scelere fecisse videbere, teque indefensam relinques : si vives, ex ipsa fiducia judicabunt homines errorem, non crimen fuisse.

934. *Defendar illic.* Apud inferos. Euripides Hecuba, vs. 418 : Ἐκεῖ δ' ἐν ᾅδου κείσομαι χωρὶς σέθεν. Propertius, I, 19, 3 : « Illic formosæ veniant chorus heroinæ. » Si bene conceperimus verum loci sensum, vult significare Dejanira, fore ut inferi, quæ est splendida Alcidæ memoria, herois conjugem relaxent. Firmat autem sensum hæc quæ profert Dejanira, antequam se ipsam condemnet. In expiando, inferorum Deus invocabatur ; et ideo illa, vers. 935 : « Purget has Pluton manus. » Sed quum eadem suum ipsa sibi nec possit nec velit scelus ignoscere, in se votis omnem Plutonis severitatem arcessit, qua tandem eluatur crimen.

936. *Lethe.* Herc. Fur. vs. 680.

938. *Tu*, o Dis.—*Nigrantis.* Cf. Agam. vs. 756.

939. *Laborem*, cruciatum meo dignum errore, qui aliorum omnia scelera superat.

Hic vicit error. Juno non ausa Herculem est
Eripere terris : horridam pœnam para.
Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis
Impellat humeros : me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat sitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcumque regem Thessalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras.
Vacat una Danais; has ego explebo vices.
Laxate manes : recipe me comitem tibi,
Phasiaca conjux : pejor hæc, pejor tuo
Utroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es : adde me comitem tuis,
Threicia conjux, sceleribus : natam tuam,
Althæa mater, recipe : nunc veram tuam
Agnosce prolem : quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? Claudite Elysium mihi,

942. *Sisyphia.* Hipp. vs. 1231.

943. *Vagus.* Thyest. vs. 152.

945. *Turbinibus.* Rotationibus et revolutionibus tuis, o rota, qua volvitur Ixion. Cf. Herc. Fur. vs. 750.

947. *Effodiat.* Hipp. vs. 1233.

948. *Vacat.* Omnes Danaides crudelitatis suæ pœnas apud inferos dant, una excepta : ut Hercul. Fur. v. 500. Una ergo vacat sedes : istum ergo locum quum vacat, occupare Dejanira postulat, ipsa quoque criminis ejusdem rea.

949. *Laxate,* ut mihi sit spatium. Virg. Æn. VI, vs. 412 : « laxatque foros. »

950. *Phasiaca,* Medea Colchis. Conf. Hipp. vs. 564.

951. *Seu mater,* ubi filios interfecisti. Med. act. V, 950 sqq.

952. *Seu dira soror,* ubi Absyrtum fratrem discerpsisti. Cf. Med. vss. 47, sq. et 133.

953. *Threicia.* Procne Terei regis Thracii uxor. Conf. Agam. vs. 673, et sup. 192.

954. *Althæa.* Mater Meleagri. Med. 645 et 780.

955. *Agnosce prolem,* sceleris tui æmulam. Similiter Dejanira apud Nasonem, Ep. IX, 151 : « tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem : » utpote quæ studuerim tibi scelere similis esse. Meleager avunculos, Althæa filium, Dejanira maritum, filium sustulit.

956. *Vestræ.* Si cum meis conferantur, quæ illum heroa Herculem sustulerunt. — *Elysium,* beatorum sedes. Troad. vs. 945.

Quæcumque fidæ conjuges nemoris sacri
Lucos tenetis : si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit,
In me suas agnoscat et laudet manus :
In hanc abire conjugum turbam libet.
Sed et illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte conjux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est : proh nimis mens credula!
Proh Nesse fallax! atque semiferi doli!
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; tuque, quæ blanda tenes
In luce miseros, vita; cariture Hercule
Lux vilis ista est. Exigam pœnas tibi,
Reddamque vitam : fata an extendo mea?
Mortemque, conjux, ad tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, et armatæ manus
Intendere arcum tela missurum valent?
An arma cessant, teque languenti manu
Non audit arcus? si potest letum dare,
Animose conjux, dexteram exspecto tuam.
Mors differatur : frange ut insontem Licham;

957. *Fidæ.* Crudelis ironia est.

960. *Belias*, Beli neptis, Danai filia. Herc. Fur. vs. 498.

966. *Semiferi*, Centauri biformis Nessi. — *Doli.* Nominat. plur.

967. *Auferre.* Conjugem meum.

968. *Titan*, Sol. Med. v. 5.

971. *Fata an extendo*, etc. Rogat enim, an potius hoc faciat, quam se ipsa interimat.

972. *Ad tuas*, ut a te interficiar.

975. *An arma.* An forte, veneni vi victus, arcum tendere et sagittas mittere non vales?

976. *Si potest.* An armata manus tua telis solitis, valet arcum intendere in hostem? an vero arma tibi exciderunt, et imbecillam, vi morbi victis viribus, manum arcus contemnit? si valet manus tua tela mittere, intrepide conjux, etc. Sic Ovid. Met. V, 382 : «...nec quæ magis audiat arcum : » hoc est, quæ promtius et fidelius obediat, et jussum vulnus infligat.

978. *Mors differatur.* Mea manu decreta. — *Licham.* Ab hoc tres insulæ, Lichades dictæ, Strab. lib.

Alias in urbes sparge; et ignotum tibi
Emitte in orbem : perde, ut Arcadiæ nefas,
Et quidquid aliud restitit : ab illis tamen,
Conjux, redisti. HYL. Parce jam, mater, precor.
Ignosce fatis : error a culpa vacat.
DEJAN. Si vera pietas, Hylle, quærenda est tibi,
Jam perime matrem : pavida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc, hæc peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem : majus eripui decus,
Quam in luce tribui. Si tibi ignotum est nefas,
A matre disce : seu tibi jugulo placet
Mersisse ferrum, sive maternum libet
Invadere uterum, mater intrepidum tibi
Præbebit animum : non erit totum scelus
A te peractum; dextera sternar tua,
Sed mente nostra. Natus Alcidæ, times?
Ita nulla peragas jussa, nec frangens mala

IX. De morte ejus Ovid. Met. IX, vs. 223: « Sic illum validis jactum per inane lacertis Exsanguemque metu, nec quidquam humoris habentem, In rigidos versum silices prior edidit ætas, Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alte Gurgite, et humanæ servat vestigia formæ : Quem, quasi sensurum, nautæ calcare verentur, Appellantque Lichan. »

980. *Arcadiæ*, Mænalium suem.

981. *Et quidquid aliud.* Vide Animadv. — *Ab illis*, victor, quod a meo scelere non potest.

986. *Hoc scelus*, peremisse me, matrem tuam.

988. *Hæc peremit dextra, cui*, etc. Construe, « hæc dextra peremit (patrem), cui patri debes. »

989. *Majus.* Patrem tollendo, quam te in lucem pariendo.

990. *Quam in luce tribui. In luce*, scilicet danda. Sensus verborum haud dubie is est, quem eruit Gronovius in Diatribe Statiana, cap. 57 : Eripui tibi majus decus; quia nempe Hercules nunc, quum moritur, major est, quam quum tu natus es; et ex suis pluribus egregiis factis, et quia dignior est Jove patre.

996. *Natus.* Emphasis : ab intrepido patre degeneras, si timeas.

997. *Ita nulla.* Adjurantis. Sic nulla unquam per orbem vagans

Erres per orbem, si qua nascetur fera.
Referas parentem : dexteram intrepidam para.
Patet ecce plenum pectus ærumnis : feri.
Scelus remitto : dexteræ parcent tuæ
Eumenides ipsæ... Verberum crepuit sonus.
Quænam ista torquens angue vipereo comam
Temporibus atras squalidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante persequeris face,
Megæra? pœnas poscit Alcides : dabo.
Jamne inferorum, Diva, sedere arbitri?
Sed ecce, diras carceris video fores.
Quis iste saxum immane detritis gerit
Jam senior humeris? ecce, jam vectus lapis
Quærit relabi. Membra quis præbet rotæ?
Hic ecce pallens dira Tisiphone stetit,

jussusque, ut pater tuus ab Eurystheo, perdas monstra, si mihi parcas. Sic patrem, monstrorum domitorem, tu referas ac repræsentes, ut me nunc provocantem intrepidus perimas.

1002. *Eumenides*. Furiæ ultrices, quæ scelera persequi solent; respicitque poeta ad Orestis Furias. — *Verberum*. Amens adesse sibi Furias imaginatur, et in vividam hypotyposin, qui est erroris æstus, rapitur.

1003. *Angue vipereo*. Intellige cerasten, qui vipereum est genus, juxta Nicandri Theriac. vs. 307; et quem « crinalem attollit longo stridore» Megæra Statii, Theb. XI, vs. 65; et Virg. Æn. VI, 281.

1004. *Atras pinnas*. Intelligi vult Badenius *pinnas*, alas; Furiis alas jam ab Euripide tributas esse, docente Bœttigero. Alatam quoque Megæram facit Virgilius, Æn. XII, 848. Tum autem alæ poetis velocitatem significant. Atqui Orpheus, hymno in Furias, vs. 9 : Ἠέριαι, ἀφανεῖς, ὠκύδρομοι ὥςε νόημα. — Sed simplicius est accepisse hoc dictum pro, forma quam referebant angues torti et dependentes ad tempora, ita ut essent fere, quod sunt pinnæ piscibus.

1007. *Diva*, o Furia. Est δῖα Μέγαιρα apud Orpheum, hymno in Furias, vs. 2; et θεὰ δασπλῆτις Ἐριννὺς, apud Homerum, Odyss. XV, 234.

1009. *Detritis humeris*. Quum scilicet saxum indesinenter volvant. — Sisyphum sibi vidisse videtur et Ixiona.

1012. *Pallens*. Ut a Virg. Georg. III, 552, *pallida Tisiphone* dicitur. — *Tisiphone*, ἀπὸ τοῦ τίσιν τοὺς φόνους. — *Stetit*, exemplo Furiæ,

Causam reposcit... Parce verberibus, precor,
Megæra, parce; sustine Stygias faces :
Scelus est amoris. Sed quid hoc? tellus labat,
Et aula tectis crepuit excussis : minax
Unde iste cœtus? totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc et hinc populi fremunt,
Totusque poscit vindicem mundus suum.
Jam parcite, urbes : quo fugam præceps agam?
Mors sola portus dabitur ærumnis meis.
Testor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superosque testor : Herculem terris adhuc
Moritura linquo. HYL. Fugit attonita : hei mihi!
Peracta jam pars matris est : statuit mori.
Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas! si mori matrem vetas,
Patri es scelestus : si mori pateris tamen,
In matre peccas : surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est : pergam, et eripiam scelus.

reum agentis, in Winkelm. Monum. ined. n. 151.

1013. *Causam.* Pro qua mihi debetur supplicium; aut fortasse, *causam* sume, pro supplicio ipso.

1014. *Sustine*, contine paulisper. Ovid. F. V, 300 : « Sæpe Jovem vidi, quum jam sua mittere vellet Fulmina, ture dato, sustinuisse manum. »

1015. *Scelus est amoris.* Scilicet ut Herculis amorem a pellice ad me transferrem.

1016. *Minax.* Furenti videtur irruere populus, qui non irruit.

1021. *Mors*, etc. Vid. Animadv.

1023. *Herc. t. adhuc linquo.* Quasi diceret, moriar ante Herculem.

1024. *Moritura.* Trachyne se interfecit Dejanira, non Argis, ejusque tumulus ad radices Œtæ montis, adhuc Pausaniæ temporibus; vid. in Corinth. — *Fugit*, recessit scilicet e scena, ne se coram populo trucidaret.

1025. *Pars.* Sors. Gallice : *le rôle de mère.*

1026. *Nunc nostra.* Meæ restant partes, ut matrem mori volentem impediam. Vid. Animadv.

1027. *O misera*, etc. Rursum se corrigit dubius.

1028. *Patri*, quem illa interfecit.

1029. *Hinc illinc.* A patris parte et a matris.

1030. *Pergam, et eripiam scelus.* Vid. Animadvers.

CHORUS.

Verum est, quod cecinit sacer
Thressæ sub Rhodopes jugis,
Aptans Pieriam chelyn,
Orpheus, Calliopæ genus :
Æternum fieri nihil.
Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusque sequi fugam
Amisit liquor impetum :
Et dum fluminibus mora est,
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones ultimi.
Advexit volucrem nemus,
Et silva residens venit;
Aut si quæ aera pervolat,
Auditis vaga cantibus

Act. III, sc. III. Sumta ab Herculis robore labefactato occasione, Chorus omnia interitui obnoxia, nihil æternum, canit; quam sententiam ab auctore Orpheo commendat, ejusque artem obiter celebrat.

1032. *Sacer Orpheus*. Musarum vates : sacer interpresque Deorum.

1033. *Aptans Pieriam chelyn*. Pro eo, quod sit Ovidius, qui Senecæ præivit, Met. X, vs. 145 : « Ut satis impulsas tentavit pollice chordas, Et sensit varios, quamvis diversa sonarent, Concordare modos, hoc vocem carmine rupit : Ab Jove, etc. » — Vid. Animadv.

1034. *Calliopæ*. Calliopes et Œagri fluvii filius. Aliis, Apollinis.

1036. *Illius ad mod*. Med. 626.

1038. *Oblitusque*. Flumina sistebat cantus. — *Obl. sequi fugam*, est insistere lapsibus suis, pergere et continuare suos itus. — *Liquor*. Unda fluminum.

1041. *Getan*, Thracium, Scythicum. Sup. vs. 819.

1042. *Bistones*. Herc. Fur. 226.

1044. *Et silva residens venit*. Suppl. *volucris*, et *silva*, ablativum est. Vult auctor alitem vel volucres aut venisse residentes in ramis adproperantis silvæ, aut forte prætervolantes, vi et dulcedine carmine attractas, subito se demisisse et circa Orphea constitisse. Hoc est enim *deficiens cadit* vers. 1047.

Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauros obiter ferens;
Et juxta Rhodopen stetit,
Laxata nive cantibus.
Et quercum fugiens suam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt suos
Ipsis cum latebris feræ.
Juxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo,
Nec damæ trepidant lupos,
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores
Manes quum tacitos adit,
Mœrentem feriens chelyn,
Cantu Tartara flebili
Et tristes Erebi Deos

1048. *Athos abr.* Med. vs. 720.

1049. *Obiter ferens.* Illos forte illic deprehensos et observantes secum vehens.

1051. *Laxata nive cantibus*, quibus omnia emolliebantur.

1052. *Quercum fugiens suam.* Libenter et promte ea excedens: quod et noctu facere credebantur, ut choreas ducerent circum arbores. Sic et mox, *serpens latebras fugit*, et, ex illis prorepit.

1054. *Suos.* Ponitur pro pedestri *ejus*, ut apud Ovidium, Ponticor. I, VII, 48: « Si *sua* per vestras victa sit ira preces »; et multis locis, quæ vel Sanctii Minerva, II, 12, demonstrat. —Vid. Animadv.

1055. *Ipsis cum latebris.* I. e. cum saxis, rupibus.

1057. *Marmaricus.* Ferox instar Libyci leonis. Agam. 735.

1061. *Tænarias.* Herc. Fur. 587.

1062. *Manes.* Herc. Fur. v. 570.

1063. *Mœrentem.* Ipse mœstus ob Eurydices mortem.

1065. *Et tristes Erebi deos. Tristes*, id est, severos. Herc. Fur. v. 612: « et tristes Deos, Et fata vici. » Eamdem rem alio modo expressit Ovid. Met. X, 45: « Tum primum lacrimis victarum carmine fama est Eumenidum maduisse genas. » Rursus alio Manilius, V, v. 328: « Qua quondam sonitumque ferens Œagrius Orpheus, Et sensus sco-

Movit : nec timuit Stygis
Juratos Superis lacus.
Hæsit non stabilis rota
Victo languida turbine.
Increvit Tityi jecur,
Dum cantus volucres tenet.
Aurito quoque navita
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio venit.
Tunc primum Phrygius senex
Undis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus.
Sed quum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens,
Et vinci lapis improbus,

pulis, et silvis addidit aures, Et Diti lacrimas, et morti denique finem. » — Eadem fere Gronovius: « *Tristes* intellige, non ut omnia inferorum tristia dicuntur, sed cantu flebili tristes. » Apud Statium, Theb. VIII, 571, Pluto indignatus: « Odrysiis etiam pudet heu! patuisse querelis Tartara. Vidi egomet blanda inter carmina tristes Eumenidum lacrimas. » (Alii *turpes*.)

1067. *Juratos*. Herc. Fur. 712.

1068. *Non stabilis*. Non prius stare solita Ixionis rota.

1070. *Tityi*. Hipp. vs. 1234.

1071. *Volucres*. Vultures qui Tityi jecur depascebantur. Ovid. Metam. X, 43 : « nec carpsere jecur volucres. »

1072. *Aurito*, auscultante, aures admovente; secundum pulchram et veram Clerkii (vid. Animadv.) emendationem. Horat. Od. I, XII, 11, de eodem : « Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. » — *Navita*, portitore Charonte. Vid. Animadv.

1074. *Nullo remigio*, advolante cymba absque remigis opera.

1078. *Nec pomis*. Quia famem sitimque non potus aut cibi suavitate, sed concentus dulcedine excussit Tantalus.

1081. *Lapis improbus*, sqq. Certum est, ait Gronovius, de lapide Sisyphi loqui auctorem; et interpretatur ille : lapis plus ausus quam fata permitterent, quæ non minus ipsum alligassent Sisypho, quam Sisyphum lapidi. Nos arbitramur potius, id generaliter dictum, seu de lapidibus inferorum, seu de lapidibus quibuslibet, quemadmodum supr. vs. 1048 sq. Ita ut totius

Et vatem potuit sequi.
Consumtas iterum Deæ
Supplent Eurydices colos:
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
Cantus præmia perdidit.
Quæ nata est iterum, perit.
Tunc solamina cantibus
Quærens, flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis :
« Leges in superos datas,
[« Et qui tempora digerens
« Quatuor præcipitis Deus
« Anni disposuit vices;]
« Nulli non avidas colo
« Parcas stamina nectere;
« Quod natum est, poterit mori. »
Vati credere Thracio
Devictus jubet Hercules.
Jamjam legibus obrutis
Mundo quum veniet dies,

sententiæ series prope sit : « Non solum quum adesset in terris Orpheus, miracula edebantur : sed quum linqueret inferos, quum rediret, potuisset fieri, ut lapides, quamvis sint subterranei, duri, *improbi*, hac rigiditate victa, canentem sequerentur vatem. »

1093 sqq. *Leges in superos datas*, etc. Ante omnia vid. Animadvers. in loco quem plurimi tentaverunt. Tum, *et qui*, accipe pro, et *in eum qui*; per hellenismum notum. Inde explica, e versu 1092 ad 1099 : Orpheus canebat Getis, leges datas esse, in, contra, Superos, et contra eum Deum, qui Deus, digerens tempora, disp. quat. vic. ann. præcipitis; canebat, parcas avidas colo nectere nulli non, omnibus, stamina. Et sic absolvebat : « Quanto magis hoc quod natum est, poterit mori ! »

1097. *Colo*, a colus.

1102. *Legibus obrutis*. Id est, deletis, oppressis legibus, quæ mundum continent.—Per hæc portendit Chorus orbis totius excidium, quod scribit.

Australis polus obruet
Quidquid per Libyam jacet,
Et sparsus Garamas tenet.
Arctous polus obruet,
Quidquid subjacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cæli regia concidens
Ortus atque obitus trahet.
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua, et chaos.
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via Tartari,
Fractis ut pateat polis?

1105. *Libyam*, *pro* totam Africam.

1106. *Sparsus*, interioris Libyæ incola vagus.

1109. *Et siccus Boreas*, etc. Supp, et *quidquid sicc. Boreas ferit.*

1114. *Ortus atque obitus.* Plagas æthereas, et quæ orientem, et quæ occidentem spectant.

1115. *Mors aliqua.* Sc. mors sui generis. Lucret. V, 383 : « . . . . . tantopere inter se quum maxima Mundi Pugnent membra, pio nequaquam concita bello : Nonne vides *aliquam* longi certaminis illis Posse dari *finem?* » Idem VI, vs. 565 : « Et metuunt, magni naturam credere mundi Exitiale *aliquod* tempus clademque manere. » Plinius, Hist. Nat. II, 9, 12 : « misera hominum mente ... in defectibus scelera, aut mortem *aliquam* siderum pavente. » Noster, Epist. 71 : « totus hic rerum omnium contextus ... non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu *aliquis* dies dejiciet. » — *Chaos.* Herc. Fur. vs. 610.

1116. *Mors.* Mors, fati domina, et ipsa peribit.

1117. *In se constituet*, etc. Vid. Animadv.

1120. *Fractis.* Infra vs. 1136 : « . . . . . hinc et hinc compagibus Ruptis uterque debuit *frangi polus.* » Et v. 1150 : « frange, quem perdis, polum. » Seneca, Quæst. Nat. VI, 32 : « frangatur licet cælum... securus adspiciet ruptis compagibus dehiscens solum. » Horatius, Od. III, 3, 7 : « Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. » —*Polis.* Hic dativo sumitur.

An quod dividit æthera
A terris spatium, sat est
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fati? quis superus locus
Pontum, sidera, Tartara,
Regna unus capiet tria?
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus.

1124. *Quis tantum.* Quis locus capiet dissolutum jam triplex regnum Jovis, Neptuni, Plutonis? — *Tantum nefas fati.* Hoc est, naturam meliorem et descriptas rerum facies, ex decreto fatorum in antiquum chaos confusas et statis tot sæculorum locis dejectas. Vid. Animadv.

1125. *Quis superus*, etc. Observandum, Chorum intuitu novissimæ dissolutionis totius universi perturbatum, distincte quærere, quo in loco ad ultimum cessura sit natura rerum confusa? Tartarusne laxatus et depressus cælum capturus sit et reliquam naturam? An regio, terram inter et cælum media, chaos illud horrendum et naturæ melioris ruinam complexura sit? An denique superior et cælestis locus unus ponto, sideribus et Tartaro capiendis satis amplus futurus sit? Vides tragicum, *Tartara*, et *spatium* illud aerium, quod dividit æthera a terris, tum *locum superum*, sive regionem cælestem, altissimam, supraque medium illud spatium elevatam, ordine attingere. Hic unus e Gallicis interpretib. *Coupé:* « On conviendra que ce chœur est une explication sublime de cet axiome attribué à Orphée et adopté par les stoïciens, que rien ne devient éternel dans le monde. Observez que l'auteur généralise à la fin de cet axiome, et qu'il croit que les dieux eux-mêmes mourront. Ce n'était cependant point là la croyance des stoïciens; ils n'étaient point athées: ils admettaient un Dieu éternel. » Sed non probo.

1127. *Regna tria*, mixta jam et confusa. — Ad rem est locus maxime memorandus Senec. Consol. ad Polyb. XX.... « Nihil perpetuum, pauca diuturna sunt: aliud alio modo fragile est; rerum exitus variantur: cæterum quidquid cœpit, et desinit. Mundo quidam minantur interitum, et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, et in confusionem veterem tenebrasque demerget..... Eat aliquis, et fata, *tantum aliquando nefas ausura*, sibi non pepercisse conqueratur. »

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, CHORUS.

HERC. CONVERTE, Titan clare, anhelantes equos,
Emitte noctem : pereat hic mundo dies,
Quo moriar ; atra nube inhorrescat polus.
Obsta novercæ : nunc, pater, cæcum chaos
Reddi decebat, hinc et hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc partem in omnem, Juppiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica jaculetur juga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris jamjam fores
Pluton superbus : vincula excutiet patri,
Cælumque reddet. Ille, qui pro fulmine

Act. IV, sc. I. Ejulans Hercules conqueritur, se indigna morte perire, femineis scilicet dolis.

1131. *Converte*, retro.

1132. *Emitte*, absentia tua. — *Pereat*. Noctis nubiumque velum horridum intendatur, ut dies, quo moriar, mundo non luceat.

1134. *Obsta novercæ*. Precatur Hercules lucem et solem eripi, ne Juno videat et triumphet in Hercule moriente. DELR.

1137. *Quid parcis*. Cur autem non polos frangis, cur cælo parcis? cui, sublato jam Hercule, bellum ex novo inferent Gigantes. Herc. Fur. 967.

1140. *Othrys*. Encelado quidem Ætna imposita. Herc. Fur. 80. Sed Othryn dixit pondus leve quod torqueat et jaculetur in Deos Enceladus. Sic inf. v. 1146 et 1168.

1142. *Patri*. Saturno, tenebrosa in Tartara misso. Vid. Herc. Fur. v. 965.

1143. *Cælum*. Imperium cæli. — *Pro fulmine*. Loco fulminis tui in sævos tyrannos. Sup. vs. 5.

Tuisque facibus natus in terris eram,
Ad Styga revertor : surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in Superos onus.
Regnum omne, genitor, ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet : antequam spolium tuî
Cælum omne fiat, conde me tota, pater,
Mundi ruina : frange, quem perdis, polum.
 CHOR. Non vana times, nate Tonantis;
 Jam Thessalicam Pelion Ossam
 Premet; et Pindo congestus Athos
 Nemus æthereis inseret astris.
 Vincet scopulos inde Typhoeus,
 Et Tyrrhenam feret Inarimen.
 Feret Ætnæos inde caminos
 Scindetque latus montis aperti,
 Nondum Enceladus fulmine victus.
 Jam te cæli signa sequentur.
HERC. Ego, qui relicta morte, contemta Styge,
Per media Lethes stagna cum spolio redii,

1145. *Ad Styga.* Unde prius reversus Cerberum extraxi.

1146. *Mittetque*, etc. Jaculabitur Ætnam. Herc. Fur. 80.

1147. *Dubium*, incertæ possessionis, propter Gigantes.

1148. *Spol. tuî*, i. e. tibi ereptum.

1150. *Frange.* Frange prius quam perdas cælum.

1152. *Thessalicam.* Herc. Fur. v. 971; Agam. 335. — *Pelion Ossam pr.* non enim semper Pelio Ossam, ut alibi Noster, sed interdum et Ossæ Pelion imponunt. Virg. G. I, 281.

1155. *Typhoeus.* « Durumque cubile Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo. » Virg. Æn. IX, 715. Vid. et Thyest. 809 et sqq.

1156. *Inarimen.* Sunt, qui Virgilium et cæteros loqui velint de quadam insula in ora Campaniæ, quam prius Pythecusas vocabant, de qua Suidas, Harpocration, Strabo. Pherecydes, apud Apollonii Scholiast. lib. II, prodidit eam Typhoeo impositam; idque Latini poetæ, ut hic Noster, sequuntur. Quod si verum, erravit Ovid. Met. XIV, 89, Inarimen, Prochytam, Pythecusas, tres insulas faciens. Vid. Turneb. Advers. XX, c. 8.

1157. *Ætnæos.* Herc. Fur. 106.

1158. *Montis*, Ætnæ.

1160. *Cæli signa*, sidera.

1161. *Relicta.* Herc. Fur. 612.

1162. *Spolio.* Cerbero.

Quum pæne trepidis excidit Titan equis:
Ego, quem Deorum regna senserunt tria,
Morior: nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys; non truci rictu Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum:
Sine hoste vincor: quodque me torquet magis,
O misera virtus! summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit: impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta: proh! mundi arbiter,
Superique, quondam dexteræ testes meæ!
Proh! cuncta Tellus, Herculis vestri placet
Mortem perire? dirus o nobis pudor!
O turpe fatum! femina Herculeæ necis

1164. *Regna tria.* Jovis, Neptuni, Plutonis: in æthere nempe Stymphalidas, in aquis Hydram, in inferno Cerberum vicerat.

1165. *Nec ullus per meum.* Querela hæc Herculis magna ex parte a Sophocle in Trachiniis desumta fuit: quæ carmina sic Cicero in Tuscul. lib. II, 8, vel potius Attius reddidit: « Hos non hostilis dextra, non terra edita Moles Gigantum, non biformato impetu Centaurus ictus corpori infixit meo, Non Graia vis, non barbara ulla immanitas, Non sæva terris gens relegata ultimis, Quas peragrans undique omnem hinc feritatem expuli: Sed feminea vir, feminea interimor manu. » — *Stridet.* Vid. ad Animadv.

1167. *Latus.* Supp. saxi. Gallice, *quartier de roche.* — *Instar montis abrupti.* Tantæ magnitudinis, quantæ mons totus.

1168. *Othrys*, mons Thessaliæ. Sup. 494. — *Gyges.* Unus e Gigantibus.

1170. *Sine h. vincor.* FÉNÉLON, *Télémaque*, lib. XV: « Après avoir vaincu tant d'ennemis, je me suis lâchement laissé vaincre par l'amour d'une beauté étrangère, etc. » Vide cæterum ad calcem fabulæ, totum hunc Fenelonis locum fideliter et exacte expressum.

1171. *O misera virtus!* Versus integros, quibus virtutem accusat Hercules, ex antiqua tragœdia adducit Plutarchus in, De superstitione, 1: Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν.

1172. *Impendo.* Δυσχεραίνει γὰρ τὸν τοιοῦτον θάνατον, etc. Etiam fortis ægre fert sibi non viriliter pereundum, atque ubi viribus non est locus.

1176. *Perire*, irritam esse.

1177. *Femina Herculeæ necis*, etc. Adposite Germanicus moribundus

Auctor feretur; auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere feminea manu
Voluere fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem, hei mihi,
Junonis odio : feminæ caderem minis,
Sed cælum habentis. Si nimis, Superi, fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon : feminæ cujus manu,
Junonis hostis, vincor? hinc gravior tuî,
Noverca, pudor est : quid diem hunc lætum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia femina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidæ imparem :
Victa es duobus : pudeat irarum Deos.
Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis ! aut centum anguibus

apud Tacitum, An. II, 71 : « illacrymabunt, quondam florentem et tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. »

1178. *Quibus?* et statim sibi respondet, monstris, Gigantibus, feris.

1179. *Invicta*, inexorabile fatum.

1180. *Perque.* Tam ingloria Parcarum de me decreta, ut feminea perirem manu.

1182. *Feminæ caderem minis.* *Minæ* dicuntur pro re minas firmante, intentatique periculi discrimine. Sic infra vs. 1319, 1381, 1462, et alibi.

1183. *Si nimis, Superi, fuit.* Nempe cælum habenti feminæ me succumbere. At Amazones hoc decus indulsissent. Sic supra, vs. 1125; et in Troadibus.

1185. *Amazon*, Hippolyte. Herc. Fur. 542. — *Feminæ.* Nunc autem quam vilis feminæ manu pereo, qui Junoni dignus visus sum hostis.

1186. *Hinc.* Quum me perdat muliercula, quod tu facere non potuisti. Vid. Animadv.

1188. *Quid tale.* Quod monstrum genuit tellus in tui infestæ mihi gratiam perniciosius quam Dejaniram?

1190. *Alcidæ.* Et Alcidæ soli.

1191. *Victa*, a me prius, nunc a Dejanira, quæ plus in meam perniciem valuit, quam tu dea. — *Pudeat irarum Deos.* Si mortales plus possint.

1193. *Nemeæa pestis*, leo Nemeæus. Herc. Fur. 224. — *Centum.* Circumdatus fecundæ capitibus Hydræ, mortem extimuissem, sanguine meo ab Hydræ veneno in tabem verso.

Vallatus Hydram tabe pavissem mea!
Utinam fuissem præda Centauris datus!
Aut inter umbras victus, æterno miser
Saxo sederem, spolia quum traxi ultima
Fato stupente! nunc ab inferna Styge
Lucem recepi; Ditis evici moras.
Ubique me mors fugit, ut leto inclyto
Fortis carerem: o feræ victæ, o feræ!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit: non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri;
Non gemina serpens: perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam: titulus extremus quis est?
CHOR. Viden', ut laudis conscia virtus
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris; non morte dolet.

1195. *Centauris*, quos in monte Pholoe occidi et profligavi.

1196. *Æterno*. Respicit ad saxum cui adhæsit Theseus. Virg. Æn. VI, 617: « Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus. »

1197. *Spolia ultima*. Non Cerberum, id est, mortem, rerum terminum. Quod hic apponit Farnabius; sed sic dicta cape, quia ex ultimo et remotissimo Orci regno.

1199. *Nunc ab inferna Styge Lucem*, etc. Reddita est vita, data et longior vita, mors a me prohibita, ne honeste morerer.

1200. *Ut leto inclyto fortis*. Vid. Animadv. — Locus cæterum satis per se clarus, ut scripsimus. Tacit. Ann. II, 71: Germanicus moribundus: « Si fato concederem, justus mihi dolor, etiam adversus deos, esset, quod me parentibus, liberis, patriæ, intra juventutem, præmaturo exitu raperent: nunc scelere Pisonis et Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam *pessima morte* finierim. »

1202. *Canis*. Herc. Fur. 813.

1203. *Ad Styga red.* etc. Vid. Animadv.

1204. *Ibera*. Geryonis trigemini. Herc. Fur. v. 232.

1205. *Gemina*. Angues duo; quos a Junone immissos elisi jam in cunis vagiens. Herc. Fur. v. 215.

1206. *Titulus*. Atque ecce inhonesta tandem morte pereo.

1208. *Non Lethæos*. Mortem non horret, sed ingloriæ mortis generis pudet. Sup. v. 1172.

Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole Gigantum,
Et montiferum Titana pati,
Rabidæque necem debere feræ.
Si tua causa est miseranda necis,
Quod nulla fera est, nullusque gigas,
Jam quis dignus necis Herculeæ
Superest auctor, nisi dextra tuî?

1212. *Montiferum Titana pati.* Enceladum, Thyphoea, Gygen. Sup. v. 1167.

1214. *Si tua causa est miseranda necis.* Consilium est, quod insanabili morbo laborantibus et alii dederunt. Plinius, Epist. VI, 24, 3: « Maritus ex diutino morbo circa velanda corporis, ulceribus putrescebat: uxor, ut inspiceret exegit; neque enim quemquam fidelius judicaturum, possetne sanari. Vidit, desperavit: *hortata est, ut moreretur*, comesque ipsa mortis, dux immo et exemplum et necessitas fuit. Nam se cum marito ligavit, abjecitque in lacum. » Seneca, Epist. 77: « Tullius Marcellinus, adolescens quietus et cito senex, morbo et non insanabili correptus, sed longo et molesto et multa imperante, cœpit deliberare de morte: convocavit complures amicos; unusquisque, aut quia timidus erat, id illi suadebat, quod sibi suasisset: aut quia adulator et blandus, id consilium dabat, quod deliberanti gratius fore suspicabatur. Amicus noster Stoicus, homo egregius, et ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus, videtur mihi optime illum cohortatus. Sic enim cœpit: Noli, mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna deliberes. Non est res magna vivere: omnes servi tui vivunt, omnia animalia: magnum est, honeste mori, prudenter, fortiter. » Nam qui morbo moriuntur, male moriuntur. Philippus Thessalonicensis, Epigr. XXV, v. 6: Ἄνδρας Ἄρης κτείνει, δειλοτέρους δὲ νόσος. Apud Apollonidam, Epigr. XII, v. 6, Ælius Ausonius, gladio suo incumbens, ait: Αὐτὸς ἑκὼν ἐδάμην, μὴ νόσος εὖχος ἔχοι. Et similiter Nonni Dionys. p. 604, v. 15. Orontés, ne ignobili mortis instrumento, thyrso, cadat, voluntariam sibi mortem consciscit. Ad verba quod adtinet, *tua causa necis* dicitur pro, *tuæ* causa necis, frequenti vocum trajectione. Cicero, Epist. ad Div. XIII, 1, 7: « Ædificationis *tuæ* consilium mea commendatione nolebam impediri. » Ibid. 16, 7: « Testimonium *meum* de eo judicii . . . ei libenter dedi »: ubi plura Cortius, quem vide.

1217. *Dextra tui* exquisitius quam *tua*, ut alii legunt. Exempla constructionis dabunt Perizonius ad Sanct. Minerv. pag. 261, et Davisius ad Cæsaris Comment. de Bello Gallico, lib. I, cap. 4.

HERC. Heu qualis intus scorpios, quis fervida
Plaga revulsus cancer infixus meas
Urit medullas? Sanguinis quondam capax
Tumidi vigor pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet felle siccato jecur,
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumsit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis latus,
Exedit artus penitus, et totas malum
Hausit medullas: ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus, et pesti satis
Herculea non sunt membra: proh! quantum est malum,
Quod esse vastum fateor? O dirum nefas!
En cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
Quid jam supersit. Herculem agnoscis, pater?
Hisne ego lacertis spolia Nemeæi mali

1218. *Heu qualis*, etc. Vid. Anim. —*Fervida*. E Zodiaco, in quem Juno cancrum transtulerat. Thyest. vs. 854, vol. I, pag. 307.

1221. *Sang. quondam capax Tumidi vigor pulmonis*. Vid. primum Animadv. Intellige: « Ille vigoris plenus, ut decet Herculeum corpus, pulmo, ille sanguinis quondam capax, distendit fibras arentes. »

1223. *Vapor*, calor veneni.

1224. *Nefas*. Pestis nefanda.

1225. *Abstulit costis latus*. Nudavit costas meas carne laterum.

1228. *Compagibus*, nervis, ligamentis, tendonibus.

1230. *Pesti satis non sunt*, i. e. pestem non tolerant.

1232. *Vastum*, cui mala maxima semper exilia, minuta, contemnenda videbantur.

1233. *Illo*, victore, domitore.

1235. *Lacertis*. Sic testantur interfectum Theocritus, Idyll. 26; Euripid. in Herc. Fur. et Apollod. Biblioth. II, 5, 1. Errant pictores, qui Herculem manibus leonis os diducentem pingunt. Advertit Pet. Victor. Var. Lect. lib. IV, 22. DELR. — Apollodorus: Περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέσχεν ἄγχων, ἕως ἔπνιξε. Suetonius, in Nerone volente imitari Herculis facta, c. LIII: « Præparatumque leonem aiunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus in amphitheatri arena spectante populo nudus elideret. » — *Nemeæi*. Herc. Fur. 224.

Elisa pressi? tensus hac arcus manu
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
His ego citatam gressibus vici feram,
Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus elisit fretum?
His tot feræ, tot scelera, tot reges jacent?
His mundus humeris sedit? hæc moles mea est?
Hæcne illa cervix? has ego opposui manus
Cælo ruenti? cujus, o, custos manu
Trahetur ultra Stygius? o vires prius
In me sepultæ! quid patrem appello Jovem?
Quid per Tonantem vindico cælum mihi?
Jamjam meus credetur Amphitryon pater.
Quæcumque pestis viscere in nostro lates,
Procede : quid me vulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe litus? o dirum malum!
Utrumne serpens squalidum crista caput
Vibrans? an aliquod est mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?

1237. *Detulit.* Præcipites dejecit.

1238. *Citatam.* Cervam æripedem, aureis cæterum radiantem cornibus. Herc. Fur. vs. 222.

1240. *Calpe,* Bimaris; e Columnis Herculis una. Vid. Herc. Fur. 237. — *Elisit fretum.* Immo fretum elisit Calpen, et per eam sibi pervium fecit, juvante Hercule.

1242. *His mundus.* Herc. Fur. v. 73... « Immota cervix sidera, et cælum tulit. — *Hæc moles.* Hoccine corpus illud meum quondam torosum?

1244. *Cujus,* etc. Quis posthac Cerberum ab inferis extrahet?

1246. *In me.* Quæ olim in me vigebant. Vid. Animadv.

1247. *Quid per Tonantem vindico cælum mihi?* Cur, patre Jove superbiens, cælum spero? Georg. IV, 326: « Quid me cælum sperare jubebas? »

1252. *Quis te genuit?* Unde hoc venenum? a mari Scythico, Boreali aut Atlantico.

1256. *Lernææ,* hydræ.

1257. *An te,* etc. an aconitum illud [illegible], natum e Cerberi spuma?

Omne es malum, nullumque: quis vultus tibi est?
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quæcumque pestis, sive quæcumque es fera,
Palam timeres: quis tibi in medias locum
Fecit medullas? ecce, derepta cute
Viscera manus detexit, ulterior tamen
Inventa latebra est: o malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrimæ genas?
Invictus olim vultus et nunquam malis
Lacrimas suis præbere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit: quis dies fletum Herculis,
Quæ terra vidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus, quæ tot elisit mala,
Tibi cessit uni: primo, et ante omnes mihi
Fletum abstulisti. Durior saxo horrido

1258. *Omne*, ex effectu. — *Nullumque*. Quia non appares.

1260. *Quæcumque pestis*. Ambigit an pestem hanc dicat, an feram aliquam intra se latentem.

1261. *Palam timeres*. Si palam et aperto marte mecum contenderes, non læderes, non terreres: immo ultro timeres et domarere. *Palam* est, palam exposita vel opposita. Tacitus, Ann. XI, XXII: « Nullis palam, neque cognitis mox causis. » Id est, nullis, neque tum palam factis, neque mox cognitis.

1262. *Ecce, derepta cute*. Vid. Animadv.

1264. *Simile Herculi*. Id est, ut Hercules, invictum, indomitum.

1266. *Malis lacrimas suis præbere*. Illacrymari super suis malis.

1269. *Siccus*. Siccis oculis, non lacrimantibus.

1271. *Ante omnes*, id est, coram omnibus. Paulo infra v. 1276: « Flentem, gementem, summe proh rector poli, Me terra vidit. » Hercules apud Sophoclem in Trachiniis, interprete Cicerone, Tusc. Disp. II, 8: « Heu virginali more ploratum edere, Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo. » Et mox: « Videte cuncti! tuque cælestum sator. » — *Fletum abstulisti*, invito mihi lacrimas expressisti. Sic et infr. v. 1711: « si voces dolor Abstulerit ullas. »

1272. *Durior saxo*. Amat Noster sequi Ovidium, de quo similitudines istas desumsit ex Metam. XIV, 711: « Sævior illa freto surgente, cadentibus hædis, Durior et ferro quod Noricus excoquit ignis, Et saxo quod adhuc vivum radice tenetur. » Moschus, Idyll. IV, v. 44: πέτρης ὄγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου Καρτερὸν ἐν στήθεσσι.

Et chalybe vultus, et vaga Symplegade,
Ritus meos infregit, et lacrimam expulit.
Flentem, gementem, summe proh rector poli,
Me terra vidit : quodque me torquet magis,
Noverca vidit : urit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor : unde nunc fulmen mihi?

CHOR. Quid non possit superare dolor?
Quondam Getico durior Æmo,
Nec Parrhasio lentior axe,
Sævo cessit membra dolori ;
Fessumque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus sæpe resorbet.
Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido sidere, Titan

1273. *Symplegade*. Herc. F. 1211, et in primis inf. vs. 1380.

1274. *Ritus meos infregit*. Vid. primum in Animad. alios legere *Rictus*. Ex nostra autem lect. explica : « Vultus meus durior quondam saxis, infregit, immutavit, sibi ipsis jam dissimiles effecit mores meos, et lacrimis sese rigavit. » Sensum explicat Stat. Theb. XII, vs. 535 : « hanc (Hippolyten) patriæ ritus fregisse severos Atthides obliquæ secum mirantur operto Murmure. » Adde, quas ipse modo, vs. 1266, voces edidit Hercules : « Invictus olim vultus, et nunquam malis Lacrimas suis præbere consuetus (pudet!) Jam flere didicit. »

1278. *Fulmen*, quo peream.

1279. *Quid non possit superare dolor?* Longe aliter Stoici sentiebant. Quum Pompeius voluisset visere Posidonium, doloribus podagræ cruciatum maximis, non comminutum se ait philosophus, ut frustra tantus vir ad se venerit. Itaque cubans, graviter et copiose disputavit. Quumque quasi faces doloris ei admoverentur, sæpe dixit : « Nihil agis, *dolor* : quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum. »

1280. *Æmo*, Thraciæ monte.

1281. *Parrhasio axe*, septemtrionali, juxta quem Callisto e Parrhasia urbe Arcadiæ in ursam versa, cum filio Arcade. Herc. Fur. vs. 130. — *Lentior*. Facilior flecti.

1285. *Fletum virtus sæpe resorbet*. Est, quod M. Seneca vocat, introrsus agere lacrimas. Sæpe virtutis suæ memor sistit lacrimas jam erumpentes, et quasi retrahit. Alii *resolvit*. Vid. Animadv.

Non tamen audet, vincitque faces
Solis adulti glaciale jubar.

HERCULES, ALCMENA.

HERC. Converte vultus ad meas clades, pater:
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus;
Non, quum per artus Hydra fecundum meos
Caput explicaret. Inter infernos lacus
Possessus atra nocte quum Fato steti;
Nec invocavi. Tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In astra torsi: semper hæc nobis manus
Votum spopondit: nulla propter me sacro
Micuere cælo fulmina. Hic aliquid dies
Optare jussit: primus audierit preces,
Idemque summus: unicum fulmen peto.
Giganta crede: non minus cælum mihi
Asserere potui: dum patrem verum puto,
Cælo peperci: sive crudelis pater,

1289. *Solis adulti.* Wernsdorfius hunc locum comparat. ad Petronii de Mutat. Reip. Rom. vs. 148: «Est locus Herculeis aris sacer: hunc nive dura Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit. Cælum illic cecidisse putes: non solis *adulti* Mansuescit radiis, non verni temporis aura: Sed glacies concreta riget, hiemisque pruinis Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.» — *Glac. jubar.* Id est, splendor aquæ in glaciem pellucidam induratæ non dissolvitur sole. Vid. Animadv.

Act. IV, scen. II. Lamentantem Herculem solatur Alcmena.

1293. *Quum per artus Hydra fecundum*, etc. Scilicet Hydra septem illis capitibus hinc inde erectis eum circumvallabat quasi quadam sagena.

1294. *Possessus.* Circumdatus. — *Fato*, jussu fatorum.

1296. *Non tamen*, non implorans opem tuam, suspexi.

1298. *Votum.* Certam fecit victoriæ spem. — *Propter.* In omen, aut auxilium meum, qui ipse tui fulminis vice fuerim. Sup. 1143.

1302. *Giganta.* Crede me esse unum e Gigantibus, et igitur in me intona; nam ego his potentior cælum perfringere potui, nisi pepercissem, quod te verum mihi patrem credidissem. Vid. Animadv.

Sive es misericors, commoda nato manum
Properante morte, et occupa hanc laudem tibi.
Vel, si piget, manusque detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa, qui me monte projecto opprimant.
Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro : mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; est frater quidem,
Sed ex noverca : tu quoque Alcidæ soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Jaculare, Pallas : supplices tendo manus
Ad te, noverca : sparge tu saltem, precor,
Telum : perire feminæ possum manu.
Jam fracta, jam satiata, quid pascis minas?
Quid quæris ultra? supplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem : nunc mihi irata quidem

1305. *Commod. nat. man. properante morte.* Id est, perime gnatum cita morte. Nam, ut ait Euripides, Hippolyt. v. 1047: Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ. Et transtulit Noster a Sophocle, cujus in Trachiniis, vs. 1042, Hercules ad Plutonem : Εὔνασόν μ', εὔνασον, Ὠκυπέτᾳ μόρῳ Τὸν μέλεον φθίσας.

1306. *Occupa tibi*, præripe necis meæ laudem mulierculæ.

1308. *Emitte Siculo vertice*, etc. Liberare velis Typhoea, Enceladum, Titanasque cæteros Ætnæ subjectos, ut in me ruant.

1312. *Bellona.* Agam. vs. 82.— *Gradivum*, Martem, a gradiendo in bello ultro citroque : sive a κραδάω, vibro.

1313. *Frater.* Vid. Hercul. Fur. vs. 908. Martem autem concepit Juno, tacto flore in campis Oleniis.

1314. *Alcidæ.* Pallas e cerebro Jovis nata : εὐπατέρεια patrima virgo, ἀμήτωρ.

1315. *Fratrem*, me.

1316. *Pallas.* Apud Sophoclem quoque, in Trachiniis, Hercules Palladis opem implorat.

1318. *Perire feminæ possum manu*, si tu Juno, femina quidem, sed Olympi regina, me occideris.

1319. *Quid pascis minas?* Quid nutris minas, atque in longum profers eas?

1322. *Nunc mihi irata quidem*, etc. Vid. Animadv. Tum explica : «Nunc certe opus est irata sit mihi Juno noverca mea, ut, illa præverteute, non intercipiar ignobilibus feminæ

Opus est noverca : nunc tuus cessat dolor;
Nunc odia ponis : parcis, ubi votum est mori?
O terræ et urbes ! non facem quisquam Herculi,
Non arma tradet? tela subtrahitis mihi.
Ita nulla sævas terra concipiat feras
Post me sepultum : nec meas unquam manus
Imploret orbis : si qua nascentur mala,
Nascantur ocius : undique infelix caput
Mactate saxis, vincite ærumnas meas.
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisque suppositus fores,
Ni me tulisses : vindicem vestrum malis
Eripite, populi : tempus hoc vobis datur.
Pensate merita : mors erit pretium omnium.
ALCM. Quas misera terras mater Alcidæ petam?
Ubi natus, ubinam est? certa si visus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti æstuat :
Gemit : peractum est : membra complecti ultima,

mortalis fraudibus; et tamen nunc, eadem Juno abstinet ab odiis, et mihi parcit.

1323. *Dolor*. Ira. Gallice, *ton ressentiment*.

1324. *Parcis, ubi votum est mori?* Sustinesne mihi parcere, quum votis mortem expeto?

1327. *Ita nulla*. Optantis et imprecantis est, ut, etc.

1329. *Mala*. Alii legunt *fera;* in loco difficili vid. Animadv.

1330. *Ocius*. Sup. vs. 35, idem Hercules : « *Properet* malum quodcumque, dum terra Herculem Habet videtque. » Herc. Fur. vs. 938 : « si quod etiamnum est scelus *Latura* tellus, *properet*, et si quod parat Monstrum, meum sit. »

1331. *Vincite*. Interficiendo liberate me ærumnis.

1332. *Excidimus tibi*. Excidit e memoria orbis, quam bene de ipso meritus sim.

1335. Vid. Animadv.— *Tempus*. Occasio opportuna.

1338. *Certa*, res certas.— *Visus*, meus, meorum oculorum acies.

1339. *Corde anhelanti*. Cor per arteriam venosam, refrigerantem aera, quem pulmones misere, recipit, teste Aristot. lib. III de Partibus Animal. Quare quum superius dixerit pulmones vi veneni exaruisse, profecto consequebatur, quod subjungit, æstuantis cordis suspirium, et quasi suffocatio.

1340. *Ultima*. Jamjam moritura.

O nate, liceat : spiritus fugiens meo
Legatur ore : brachia in amplexus cape.
Ubi membra sunt? ubi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tuî
Partem reliquit? HERC. Herculem spectas quidem,
Mater; sed umbram et vile nescio quid meî
Agnosce, mater : ora quid flectis retro,
Vultumque mergis? Herculem dici tuum
Partum erubescis? ALCM. Quis feram mundus novam,
Quæ terra genuit? quodve tam dirum nefas
De te triumphat? Herculis victor quis est?
HERC. Nuptæ jacentem cernis Alciden dolis.
ALCM. Quis tantus est, qui vincat Alciden, dolus?
HERC. Quicumque, mater, feminæ iratæ sat est.
ALCM. At unde in artus pestis aut ossa incidit?
HERC. Aditum venenis palla femineis dedit.
ALCM. Ubinam ipsa palla est? membra nudata intuor.

1341. *Spiritus*. Ex veterum consuetudine, apud quos proximiores, eorumque defectu ut quisque amicior, exspirantem deosculabantur, et corpus corpori, vultum vultui imponebant, quasi excepturi ore fugientem animam. Cic. in VII Verr. 117 : « filiorum suorum supremum spiritum ore excipere liceret. » Virg. Æn. IV, vs. 684 : « Et extremo si quis super halitus errat Ore legam. » Ovidius, in mortem Drusi, 158 : « Excipias hanc animam ore pio. »

1346. *Sed umbram et vile*, etc. Sed umbram, inquit, ipsum jam, jam adumbratum et evanidum, et aliquid vile meî, quod pæne quo nomine appellem nescio : nam illud quod erat nobile, quod verum faciebat Herculem, animus et robur, periit. Apud Sophoclem in OEdip. Col. vs. 110, OEdipus : Οἰκτείρατ' ἀνδρὸς Οἰδίπου τόδ' ἄθλιον Εἴδωλον· οὐ γὰρ δὴ τόδ' ἀρχαῖον δέμας.

1348. *Vultum mergis*, id est, vel demittis ac dejicis, vel demissa palla obtegis et velas. Sic Val. Flaccus, VII, 514 : « Dejicit hinc vultus æger pudor. » Quintilianus, Declam. XIX, 4 : « Mersis tantum dejectisque luminibus, tanquam unquam flagella sustinuisset, tanquam meis torqueretur oculis, omnes ictus excepit in faciem. » Ubi vide Burmannum, hanc lectionem pluribus adstruentem.

1352. *Nuptæ*, Dejaniræ.

1354. *Mater*, o mater.

1356. *Aditum dedit*, imbuta est.

HER. Consumta mecum est. AL. Tantane inventa est lues?
HERC. O mater, Hydram, et mille cum Lerna feras
Errare mediis crede visceribus meis.
Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me jactate, proh comites, freta,
Mediosque in amnes: qui sat est Ister mihi?

1361. *Flamma*, etc. Vid. Animadv. — *Nubes Sicanias*, Siculas, Ætnæ supervolitantes, quasi diceret, non Ætna flammas eructans. —*Bibit*. Pari jure dixit *bibit*, quo dicit Ovid. Met. IX, 172: « *Sorbent* avidæ præcordia flammæ. » Et flamma potest dici bibere nubes, quum eas, ut ita dicam, absorbet, et vapore suo circumfusa amplectitur.

1362. *Quæ Lemnos ardens*. Non Lemnos Ægæi maris insula Vulcano sacra, crebris æstuans incendiis. FARN. — De insula Lemno multa Val. Flacc. Argonaut. lib. II, et Statius in Theb. crebra ejus incendia, fumosum nigrantemque aerem describentes. Sunt qui, veterum quosdam sequuti, putent etiam vocari Æthalen, Hypsipylean, Berenicen, Macrim et Chium. Nescio an recte. Nam, quod ipsi non diffitentur, Livius, lib. XXXVII, Chium, Æthaliam et Macrim, totidem diversas insulas facit; et Dionysius Periegetes Macrim et Chium a Lemno apertissime distinguit. Vulcani officinam in Lemno posuit Cicero de Nat. Deor. lib. III. Ex hac adfertur terra illa nobilis, quam *sigillatam* vocant: de qua multa Thevetus, lib. VIII, Cosmograph. c. 11, et meminerat olim Myrsilus, Lesbic. lib. II, teste Natali, Mythol. II, c. 6, DELR. — *Plaga igniferi poli*. Non plaga torrida majori ardet igne, quam pectus meum. Alii legunt *inferni* et Pyriphlegethonta intelligunt. Lucan. V, 24: « Plaga qua torrens claususque vaporibus axis Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles. » —Ad h. l. ita Scaliger: « Egregius locus veteris astrologiæ, quæ putabat semper diem stare et nunquam currere sub ardenti plaga. Ausonius: « Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux; » et Seneca infra, vs. 1700: « et Omnis, ardens, ora, quam torret dies. » Scilicet perpetuus. Alioqui ubicumque est dies, ibi essent torridæ plagæ. »

1363. *Zona*. Fragmentum Varronis: « Mundus domus est maxima rerum, Quam quinque altitonæ fragmine zonæ Scindunt: per quas limbus pictus Bis sex signis stellimicantibus Altus in obliquo æthere, lunæ Bigas acceptat. » Sed ex illis quinque: Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἔκπυρος οἷον ἐρυθρὴ, Τυπτομένη φλογμοῖσιν· ἐπεὶ ῥᾶ μοῖραν ἐπ' αὐτὴν Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν, ut canit Eratosthenes: hoc est, una sabulosa torridaque ac rubens, verberata flammis, quoniam partem eam sibi subjectam perpetuo ardentes radii torrent. DELR.

1365. *Mihi*, ad me refrigerandum.

Non ipse terris major Oceanus meos
Frangit vapores : omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Jovi?
Decuit tenere : redde me tenebris tuis.
Talem subactis Herculem ostende inferis,
Nil inde ducam : quid times iterum Herculem?
Invade, Mors non trepida : jam possum mori.
ALCM. Compesce lacrimas saltem, et ærumnas doma,
Malisque tantis Herculem indomitum refer,
Mortemque vince : quod soles, vince inferos.
HERC. Si me catenis horridus vinctum suis
Præberet avidæ Caucasus volucri dapem,
Scythia gemente, flebilis gemitus mihi
Non exstitisset : si vagæ Symplegades
Utraque premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi
Atque Æmus, et qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Jovisque fulmen excipiens Mimas.
Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat,

1366. *Terris major*, quia putabant mari tellurem circumcingi, quæ fuit opinio Aristotelis in libro de Mundo ad Alexand. Q. Metelli et Cornelii Nepotis apud Melam, lib. III, c. 5. Vid. OEdip. vs. 504.

1367. *Vapores*, calores, ardores.

1369. *Rector Erebi.* Sophocleus etiam Hercules Plutonem invocat.

1371. *Talem*, afflictum, miserum membris dilaceratis.

1372. *Nil inde*, ut olim Cerberum.

1375. *Refer.* Revoca, repræsenta malis invictum, ut decet.

1376. *Quod soles.* Suppl. facere.

1377. *Si me.* Si viderem hostem, sciremque quid me cruciaret, etc. — *Catenis*, ut Prometheum. Herc. Fur. vs. 1206. Vide ad hunc locum Animadv.

1378. *Præberet avidæ.* Vid. Animadv. — *Volucri.* Vulturi.

1379. *Scythia gemente.* Ipsis Scythis mei commiserentibus.

1380. *Symplegades.* Insulæ duæ contra Bosphorum Thracium, sic dictæ, quod fabulis traditur eas inter se aliquando concurrisse; et nempe, parvo discretæ erant intervallo.

1382. *Ferrem*, sine questu aut gemitu.—*Pindus*, mons Thessaliæ.

Superque nostros flagret incensus toros
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret : mille decurrant feræ,
Pariterque lacerent : hinc feris clangoribus
Ætherea me Stymphalis, hinc taurus minax
Cervice tota pulset, et quidquid fuit
Solum quoque ingens, surgat hinc illinc frequens,
Artusque nostros dirus immittat Sinis;
Sparsus silebo : non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus; nil, quod impelli potest.
ALCM. Non virus artus, nate, femineum coquit;
Sed dura series operis; et longus tibi
Pavit cruentos forsitan morbos labor.
HERC. Ubi morbus? ubinam est? estne adhuc aliquid mali
In orbe? me eccum! veniat huc : aliquis mihi

1386. *Toros*, id est, lectum in quo jacebat; vel forsan, musculos. —Alii legunt, *rogos*.

1387. *Phœbeus axis*. Solis currus.

1390. *Stymphalis*. Herc. Fur. vs. 244. — *Taurus*. Agam. 833.

1391. *Et quidquid fuit solum*, etc. Quæ monstra singula quoque terribilia fuerint, frequenter et ab omni parte me adsiliant.

1393. *Dirus immittat Sinis*. Pityocamptes scilicet ille alligatos arbori flexæ remittat et distrahi faciat. Ideoque sequitur *sparsus*, quod est discerptus, non humi stratus, ut interpretantur. Hippolyt. 1170 : « Membra quis sævus Sinis, Aut quis Procrustes sparsit. » Vid. Animadv.

1395. *Quod impelli*. In quod vires exercere potero cum victoriæ spe.

1397. *Et longus tibi Pavit*, etc. Qui multis ærumnis et incommodis jactantur, nec curam possunt adhibere corpori, plerumque graves morborum causas colligunt. Hoc etiam Alcmena nunc interpretatur evenisse filio.

1399. *Ubi morbus? ubinam est?* etc. Vid. primum Animadv. in loco quem totum refinxit Badenius. — Pari modo sævit apud Quintum Smyrnæum, III, 69, Achilles, letaliter vulneratus : Τίς νύ μοι αἰνὸν ὀϊστὸν ἐπιπροέηκε κρυφηδόν; Τλήτω μευ κατέναντα, καὶ εἰς ἀναφανδὸν ἴτω, Ὄφρα κέ τοι μέλαν αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα χυθείη Ἡμετέρῳ περὶ δουρὶ, καὶ ἄϊδα λυγρὸν ἵκηται· Οἶδα γὰρ, ὡς οὔτις με δυνήσεται, ἐγγύθεν ἐλθὼν, Ἐγχείῃ δαμάσασθαι ἐπιχθονίων ἡρώων, Οὐδ' εἴπερ στέρνοισι μάλ' ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσιν, Ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσι λίην, καὶ χάλκεος εἴη. Κρύβδα δ' ἀνάλκιδες αἰὲν ἀγαυοτέρους λοχόωσι· Τῷ μευ ἴτω κατέναντα, καὶ εἰ θεὸς εὔχεται εἶναι.

Intendat arcus : nuda sufficiet manus.
Procedat, agedum, huc. ALCM. Hei mihi, sensum quoque
Excussit ille nimius impulsum dolor.
Removete, quæso, tela, et infestas, precor,
Rapite hinc sagittas : igne suffusæ genæ
Scelus minantur : quas petam latebras anus?
Dolor iste furor est : Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu :
Vel scelere pereat, antequam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet : ecce, lassatus malis
Sopore fessas alligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, Superi : si mihi natum inclytum
Miseræ negatis; vindicem saltem, precor,
Servate terris : abeat excussus dolor,
Corpusque vires reparet Herculeum suas.

1401. *Intendat arcus*. Dictum est ut in Medea, vs. 916 : « ... quæ perfido *intendis hosti tela?* » nec aliud verba significant, quam : inermis adversus armatum pugnabo. Sup. vs. 57, idem Hercules : « ... quanta nunc fregi mala, Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit, *Solæ* manus stravere. » Et Herc. Fur. vs. 1173 : « En *nudus* adsto, vel meis *armis* licet Petas *inermem*. » Senec. de Benef. V, 4 : « Tam par tibi sum, quam multis *armatissimis nudi*, aut leviter armati. »

1403. *Impulsum*, labefactatum, eversum. Vid. Animadv.

1405. *Rapite*. Ne sibi et mihi forsan, jam mentis impos, mortem consciscat. — *Igne*, rubore, sanguine, ardore.

1409. *Obire forti meruit*. Lucianus in Tyrannicida, 8 : Ἐλείπετο δὲ ὁ γέρων ἔτι μόνος, ἄνοπλος, ἀποβεβληκὼς τοὺς φύλακας, ἀπολωλεκὼς τὸν μέγαν ἐκεῖνον αὐτοῦ δορυφόρον, ἔρημος, οὐδὲ γενναίας ἔτι χειρὸς ἄξιος. Vid. Animadv.

1411. *Turpis manus*. Cicero, Tusc. III, 17 : « Quid est autem nequius aut turpius effeminato viro? »

1412. *Ecce*. Herc. Fur. vs. 1043. — *Lass. dolor*, quasi sopitus.

1413. *Venas*. Herculis.

HYLLUS, ALCMENA, HERCULES, PHILOCTETES, MUTA PERSONA.

HYL. Proh lux acerba, proh capax scelerum dies!
Nurus Tonantis occidit: natus jacet.
Nepos supersum: scelere materno hic periit;
Fraude illa capta est: quis per annorum vices,
Totoque in ævo poterit ærumnas senex
Referre tantas? unus eripuit dies
Parentem utrumque: cætera ut sileam mala,
Parcamque fatis, Herculem amitto patrem.
ALCM. Compesce voces, inclytum Alcidæ genus,
Miseræque fato similis Alcmenæ nepos.
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, et luctus mihi.
HERC. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo;
Et inter astra positus evasi genus
Mortale tandem: quis mihi cælum parat?
Te, te, pater, jam video: placatam quoque

Act. IV, sc. III. Reversus Hyllus nuntiat Herculi Dejaniram, postquam se Nessi dolo deceptam comperisset, a se ipsam pœnas exegisse, et sibi mortem conscivisse.

1419. *Dies*, etc. Vid. Animadv.

1420. *Nurus*, Dejanira.

1421. *Nepos*, Hercules.

1424. *Unus eripiet.* In Sophoclis Trach. 920, non quidem hoc ipse Hyllus queritur, sed nutrix introducitur inquiens: Κλαίων δέθ' οὕνεκ' ἐκ δυεῖν ἔσοιθ' ἅμα, Πατρός τ' ἐκείνης τ', ὠρφανισμένος βίου.—*Eripuit*, præterito tempore. Etsi enim luctabatur adhuc cum morbo Hercules, tamen pro deposito habebatur.

1426. *Parcam fatis.* Non incusem fata.

1428. *Miseræque*, etc. æque miser nepos atque ego.

1429. *Longus.* Tantisper ergo dormiat, quoad concoxerit perniciosum hunc humorem, quæ furoris causa. Herc. Fur. vs. 1077.

1431. *Morbo*, dolori seu furori. Vid. Animadv.

1432. *Quid hoc.* Discusso sopore, Hercules apotheosin suam, velut extasi raptus, cernere videtur; seu propinqua morte vaticinatur. — *Trachin.* Sup. vs. 135.

Specto novercam : qui sonus nostras ferit
Cælestis aures? Juno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbique tritam flammea zonam rota.
Cubile video noctis : hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem cludit, et ab ipsis, pater,
Deducit astris? ora Phœbeus modo
Afflabat axis : tam prope a cælo fui.
Trachina video : quis mihi terras dedit?
Œte modo infra steterat, ac totus fuit
Suppositus orbis : tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri : parce, et hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris : hoc munus parat.
Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum

1437. *Cælestis.* E Pythagoreorum sententia, qui concentum quemdam et harmoniam effici corporum cælestium motu credebant. — *Me generum vocat*, scilicet Hebe mihi desponsa.

1439. *Tritam*, zonam torridam.

1440. *Cubile.* Redditus terris videtur. Vid. Animadv.

1443. *Afflabat axis : tam prope.* In eodem suo delirio hæc enuntiat. Hem, inquit, ubi ego nunc? iterum in terris? paullo ante juxta Phœbi ipsius currum. — *Tam prope.* Ita Herc. Fur. vs. 978.

1445 sq. *Œte modo infra steterat*, etc. Non est mirum, quum videretur sibi e cælo despicere inferiora, potissimum apparuisse falso visui OEten, in qua erat.

1446. *Excideras*, mihi modo in cælos per extasin rapto.

1447. *Cogis fateri.* Nempe, o dolor, me victum et imparem tibi. Hinc reversus ad se, *parce*, inquit, o miser : et tolerantia tua tam turpem confessionem anteverte, priusquam talis vox excidat tibi, te comprime. Inde Hyllum alloquitur, ut vaga subjicit dolor. *Parce*, ut *parcere verbis*. Apuleius, Miles. lib. I: « Parce, inquit, in feminam divinam, ne quam tibi linguæ intemperantia noxam contrahas. »

1448. *Hæc, Hylle*, etc. Ut moriens Aratus in Plut. sub fin. : Ταῦτα, ὦ Κεφάλων, ἐπίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλίας. Hippolytus ap. Eurip. 1411 : Ὦ δῶρα πατρός σου Ποσειδῶνος πικρά ! — *Matris*, tuæ, i. e. Dejaniræ.

1450. *Quale*, qualiter. Utinam, inquit, liceret mihi Dejaniram sic exanimare, ut Amazonas peremi! — *Amazonium malum*, Amazonum insolentiam, ipsas Amazonas. Herc. Fur. vs. 542; Hippol. vs. 398.

Circa nivalis Caucasi domui latus!
O clara Megara, tune, quum furerem, mihi
Conjux fuisti? Stipitem atque arcus date.
Dextra inquinetur: laudibus maculam imprimam.
Summus legatur femina Herculeus labor.
HYL. Compesce diras, genitor, irarum minas.
Habet: peractum est: quas petis pœnas, dedit.
Sua peremta dextera mater jacet.
HERC. Cæci dolores: manibus irati Herculis
Occidere meruit: perdidit comitem Lichas.
Sævire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit: cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant feræ.
HYL. Plus misera læso doluit: huic aliquid quoque
Detrahere velles: occidit dextra sua,
Tuo dolori plura, quam poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ jaces,
Nec fraude matris. Nessus hos struxit dolos,
Ictus sagittis qui tuis vitam exspuit.
Cruore tincta est palla semiferi, pater,

1452. *Tune*. Dignior sane fuit Dejanira quæ furentis Herculis uxor esset.

1457. *Habet*, scil. vulnus. Formula a ludo gladiatorio sumta: ubi si gladiatorum alter vulnus acceptisset, adclamabant adversarius et spectatores: *Hoc habet*. Agamemn. vs. 901. FARN. — Vox est quam pariter explicavimus ad Terent. Andr. vs. 82, allato Virgilii exemplo. Cf. Terent. edit. nostræ, vol. I, pag. 21.

1459. *Cæci dolores*, id est, quorum causa ignoratur. Ad h. l. vid. Animadv.

1460. *Perdidit comitem*. Interpretationes aliorum non faciunt ad meum stomachum. Puto Herculem innuere, se simile letum illaturum fuisse Dejaniræ, quale intulerat Lichæ, nisi præoccupasset fatum: Licham igitur perdidisse comitem. GRUT. — Sic Troad. vs. 311: « paremque poscit Priamus. »

1464. *Plus misera*, plus vel te, quem læsit.

1466. *Tuo dol*. Τοῦ θυμοῦ μικροτέραν δίκην e contrario dicit auctor Epistt. quæ sub Phalaridis nomine feruntur, Ep. 30.

1469. *Exspuit*. Exhalavit.

Nessusque nunc has exigit pœnas sibi.
HERC. Habet : peractum est : fata se nostra explicant.
Lux ista summa est : quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, et Parnassio
Cirrhæa quatiens templa mugitu nemus:
« Dextra peremti, victor Alcide, viri
« Olim jacebis : hic tibi emenso freta,

1472. *Habet : peractum est.* Ut paulo ante vs. 1457. Non, bene habet, quod allinunt. Habet scilicet Hercules καιρίαν πληγήν. — Porro decorum hoc loco Noster in Herculis persona diligentius servavit, quam Sophocles; qui Herculem, ut intellexit mortem sibi instare, viro forti non satis dignas voces tribuit: Ἰοὺ, ἰοὺ δύστηνος! οἴχομαι τάλας. Ὄλωλ', ὄλωλα! φέγγος οὐκέτ' ἐστί μοι. Οἴ μοι. Quis, quæso, virorum? eia mitto virorum; quæ, quæso, muliercula tam flebiliter ejularet? DELR.—Vid. ad h. vers. Animadv.

1474. *Parnassio mugitu. Parnassius mugitus* est responsum Apollinis. *Vocem Parnassium* dixit Val. Flacc. III, vs. 618. Quod ad geminum oraculum adtinet, Dodonæum Delphico confirmatur. Simile quid refert Plutarchus, II Lacon. Apophthegm. 4, de Agesilao: Βουλόμενος δὲ τὸν πρὸς τὸν Πέρσην συστήσασθαι πόλεμον, ἕνεκα τοῦ ἐλευθερῶσαι τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἕλληνας, τῷ κατὰ Δωδώνην Διὸς ἐχρήσατο μαντείῳ· κελεύσαντος δὲ, ὅπέρ ἐστιν, ὡς δοκεῖ στρατεύεσθαι, τὸ χρησθὲν ἀνήγγειλε τοῖς ἐφόροις· οἱ δὲ ἐκέλευσαν αὐτὸν καὶ εἰς Δελφοὺς ἀφικόμενον περὶ τῶν αὐτῶν πυνθάνεσθαι. Πορευθεὶς οὖν εἰς τὸ μαντεῖον, ἐπηρώτησεν οὕτως· Ἄπολλον, ἦ δοκεῖ σοι ὃ καὶ τῷ πατρί; συναινέσαντος δὲ, αἱρεθεὶς οὕτως ἐστρατεύσατο.

1475. *Cirrhæa.* OEdip. vs. 269. —*Mugitu*, oraculi Delphici responso. Virg. Æn. VI, 98: « Ex adito Cumæa Sibylla Horrendas canit ambages, antroque remugit. » — *Nemus. Nemus* vocat Delphicam laurum, quod latioribus esset foliis, et fructuosissimis ramis. Vid. Musgrav. ad Eurip. Andromach. vs. 1118. BAD.

1476. *Dextra.* Ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι, Πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο, Ἀλλ' ὅστις ᾅδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλει. Hæc sunt verba oraculi Dodonæi, quod (ap. Soph. Tr. 1222) Herculi olim datum fuit; nempe quod ab hoste defuncto esset interficiendus. —*Victor Alcide.* Casus vocandi est: nam hæc verba nusquam legi, ut et illius quod tragœdia quinta de OEdipo commemoratur. FABRIC.

1477. *Olim j.* Hæc vox, *olim*, ut Nonius et Servius scribunt, etiam futurum tempus significat. Sic hic capitur, et apud Virgilium Æn. I, 289: « Hunc tu olim spoliis Orientis onustum Accipies secura. » Sic Romæ in quodam marmore Transtiberinæ regionis sculptum est: « Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus, Sis memor antiqui nominis et tituli. » DELR.

« Terrasque et umbras, finis extremus datur. »
Nil querimur ultra : decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclyta,
Me digna prorsus : nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis silva, et OEtæum nemus
Concipiat ignes. Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem, tu genus Pœantium,
Hoc triste nobis, juvenis, officium appara.
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
Est clara captas inter, in vultu genus
Regnumque referens, Euryto virgo edita,
Iole : tuis hanc facibus et thalamis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,
Nihilque miseræ præter Alciden dedi;
Et iste rapitur : penset ærumnas suas :
Jovis nepotem foveat, et natum Herculis.
Tibi illa pariat, quidquid ex nobis habet.
Tuque ipsa planctus pone funereos, precor,
O clara genitrix : vivit Alcides tuus.
Virtute nostra pellicem feci tuam
Credi novercam : sive nascente Hercule

1481. *Legatur*, apparetur, vel memoretur, describatur.

1484. *Concipiat ignes.* Ovid. Met. I, 255 : « Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther Conciperet flammas, longusque ardesceret axis. »

1485. *G. Pœantium.* Philoctetes.

1486. *Triste*, funebre, ut pyram exstruat, et rogo corpus reponat. Virg. Æn. VI, 223.

1489. *Euryto*, rege OEchaliæ.

1492. *Victor cruentus abstuli*, etc. Patrem illius et fratres interficiens.

1495. *Nepotem Jovis*, te.

1496. *Tibi illa pariat*, etc. Sensus esse videtur : « Si quem puerum ex me habet, is sit tuus filius; sicque illa tibi pariat. »

1498. *O clara*, etc. Vid. Anim.

1499. *Virtute.* Approbando me ex te natum Jovis esse filium magis ingenuum, quam quos ex Junone genuit : mox vs. 1509.

Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est; licet sit falsa progenies mihi,
Materna culpa cesset, et crimen Jovis:
Merui parentem, contuli cælo decus.
Natura me concepit in laudes Jovis.
Quin ipse, quamquam Juppiter, credi meus
Pater esse gaudet. Parce jam lacrimis, parens;
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno genuit, æthereum gerens
Sceptrum, et Tonanti nupta? mortali tamen
Cælum tenens invidit? Alciden suum
Dici esse voluit: perage nunc, Titan, vices
Solus relictus: ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara et Manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
Quod nulla pestis vicit Alciden palam,
Omnemque pestem vicit Alcides palam.

CHORUS.

O decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate vapores

1501 sq. *Nox illa*, geminata. — *Sive mortalis meus*, etc. Totius sententiæ hic est sensus: « Sive a mortali, sive a Jove fuerim procreatus, admitti potest meam progeniem, meam procreationem, esse falsam, esse illegitimam, adulterio Jovis et Alcmenæ debitam; et licet pariter nec matri meæ, nec Jovi de ea re crimen objici; quia si Altitonantis filius non sum, certe merui esse. » Vid. Plaut. Prol. Amph. v. 111 et sqq. ubi hæc explicantur.

1502. *Licet.* Verbum hic est, non conjunctio. Vid. vers. præced. not.

1504. *Contuli*, etc. Virtute mea cælum decoravi.

1506. *Quanquam Jupiter.* Quamvis sit rex hominum et Deorum.

1510. *Mortuli*, feminæ, matri.

Act. IV, sc. IV. Chorus Solem orat, ut toti mundo Herculis mortem nuntiet. Herculis apotheosin prædicit, Jovemque precatur, ut vel nulli producantur tyranni, feræ, monstra, vel alius sufficiatur Hercules malorum vindex.

1519. *Primos vapores.* Primos

Lassa nocturnæ levat ora bigæ,
Dic sub Aurora positis Sabæis,
Dic sub Occasu positis Iberis,
Quique ferventi quatiuntur axe,
Quique sub plaustro patiuntur Ursæ;
Dic ad æternos properare Manes
Herculem, et regnum canis inquieti,
Unde non unquam remeavit ullus,
Sume, quos nubes radios sequantur,
Pallidus mœstas speculare terras,

fervores.—*Hecate*, Luna. Hipp. 412.

1520. *Lassa.* Phœbo incipiente calorem fundere, equos Luna defatigatos nocturno penso disjungit. — *Bigæ.* Agam. vs. 818.

1521. *Sabæis,* Arabiæ Felicis incolis. Vide Strab. XVI.

1522. *Iberis*, Hispanis.

1523. *Quique ferventi quatiuntur axe.* Quorum regionem, ante cæteros terræ habitatores, Sol curru suo in campis æthereis quatit. Loquitur, ut solent, de equis aut turba hominum vel animalium super solum trepidantium. Lucretius, lib. II, 325: « Et circumvolitant equites, mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos. » Virgil. Æneid. XI, 512: « Equitum levia improbus arma Præmisit, quaterent campos. » Vel quos meridies sibi propiores æstu agitat. Axem ferventem vel currus Solis, vel polum australem intelligere licet: de quo quasi calido loquuntur veteres, etsi eumdem non minus quam Arctum horrere frigoribus ipsi non ignoraverint. Nec repugnant hæc verba opinioni veterum communi, torridam zonam inhabitabilem facientium. Etenim plaustro Ursæ, aut ferventi axi suppositi dicuntur, non ad perpendiculum subjacentes, sed qui in zonis habitabilibus huic vel illi proximi agunt. Gaon.

1524. *Plaustro.* Septem stellis in plaustrum, ἅμαξαν, formatis.—Has septem stellas docent ab Homero et Græcis ἅμαξαν dici et propinquum sidus βοώτην; illas a Latinis *septemtriones* vocari, a boum similitudine, quia Romani olim boves terræ cultores, *triones*, quasi *teriones* nominabant; ipsæ vero septem stellæ ita locatæ sunt, ut fere duos trigonos faciant, et quamdam cum Boote axis vel temonis speciem exhibeant. Ita Varro de Ling. Lat. lib. VI, et Gellius, II, c. 2. — *Patiuntur.* Est *pati* hic vivere, durare, sustentare, sustinere se, tolerare vitam, verbo Annæis valde amato.

1526. *Et regnum*, et ad regnum. — *Inquieti*, pervigilis, vel, qui « latratu ea regna trifauci Personat, » ut canit Virg. Æn. VI, 417.

1528. *Sume.* Sume nubilam faciem et tristem.

1529. *Pallidus.* Vid. Animadv.

Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, proh Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Si qua sub Lerna numerosa pestis
Sparget in centum rabiem dracones?
Arcadum si quis, populi vetusti,
Fecerit silvas aper inquietas?
Thraciæ si quis Rhodopes alumnus,
Durior terris Helices nivosæ,
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati Superi per urbes
Jusserint nasci? jacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per urbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Femina exsertos feriat lacertos;
Solaque, obductis foribus Deorum,

1530. *Cap.* tuum. Virg. G. I, 467.

1531. *Quando, quo sub axe.* Vividam et temporis et loci quæstionem agit Chorus.

1532. *Herculem.* Herculis quidem nomen, strenuis omnibus et claris viris a veteribus tributum. Hercules alii 61, alii 43 numerant.

1534. *Si qua sub Lerna,* etc. Vid. Animadv. — *Numerosa pestis.* Ovid. Met. IX, 70, de eadem : « Vulneribus fecunda suis erit illa : nec ullum De centum numero caput est impune recisum. »

1535. *Sparget.* Sparsam et diffusam habebit per centum anguium capita. Plin. lib. II, c. 37, de cornibus animalium : « Nec alibi major naturæ lascivia. Sparsit hæc in ramos, ut cervorum ; » XIII, 9, de arbore, « differt quod in brachia ramorum spargitur. »

1536. *Arcadum si quis.* Non dissimili modo loquutus est infra, vs. 1883 : « Flete Herculeos, Arcades, obitus, Nondum Phœbo nascente *genus.* Cf. et Hippol. vs. 786.

1537. *Aper,* sus Mænalius.

1538. *Thraciæ Rhodopes alumnus.* Diomedes Thraciæ rex, in qua mons Rhodope.

1543. *Omnibus par.* Vel in moriendo omnibus, vulgo, non absimilis; vel omnibus monstris par. Priorem sensum præponeremus.

1547. *Exsertos.* Nudatos.

Templa securæ pateant novercæ.
Vadis ad Lethen Stygiumque litus,
Unde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad Manes miserandus, unde
Morte devicta tuleras triumphum.
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, tenuique collo:
Teque non solum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Æaconque inter, geminosque Cretas,
Facta discernes: feries tyrannos.
Parcite, o dites, inhibete dextras.

1549. *Novercæ.* Junonis; cui infestum gaudium afferet ista mors.

1554. *Umbra nudatis venies lacertis.* Umbras enim, quam in vivis habuerant, imaginem retinere credebant veteres.

1555. *Tenui collo.* Corpora *tenuari* dicuntur et *attenuari* morbis; et proprium hoc habent umbræ, ut vocentur *tenues* et *exiles*.

1556. *Non solum*, ut quondam, ne mergeretur « gemens cymba sutilis sub pondere. »

1558. *Geminosque Cretas*, Rhadamanthum et Æacum, ambos Cretæ reges; quos propter justitiam infernis umbrarum judiciis præfecit Jupiter. Herc. Fur. 733 sq.

1559. *Facta discernes. Facta discernere* est, distinguere laudanda et punienda: discrimen facere meritorum et scelerum, ut pro iis aut absolvatur reus, aut damnetur.— *Feries tyrannos.* Magnanima est et animosa hæc Tragici sententia, qui tribus inferorum judicibus Herculem adjungit, tunc etiam a tyrannis pœnas repetiturum et humano generi consulturum. Quum probe intellexerit Seneca, reges nonnisi a præstantioribus et dignioribus posse judicari, Alcidem elegit, cui scilicet parem ullum invenissent, neque vis animi, neque fortitudo; eumque simul cum Æaco, Minoe et Rhadamantho, pensandis regum factis præfecit. Vid. Animadv.

1560. *O dites*, id est, reges. Nimirum, ut ait Horat. Epist. I, 6, 37: « ...uxorem cum dote, fidemque et amicos, Et genus, et formam *regina pecunia* donat: Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque. » Idem Sat. II, 3, 94: « ... omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris *Divitiis* parent; quas qui contraxerit, ille Clarus erit, fortis, justus... Sapiensne? etiam! et *rex*, Et quidquid volet. » Lucret. V, 1112: « Posterius res inventa est, aurumque repertum, Quod facile et validis, et pulchris, demsit honorem. *Divitioris* enim sectam plerumque sequuntur Quamlibet et fortes, et pulchro corpore creti. » Hinc *ducentem ad se*

Laudis est, purum tenuisse ferrum,
Dumque regnabas, minimum procellis
In tuas urbes licuisse fati.
Sed locum virtus habet inter astra.
Sedis Arctoæ spatium tenebis?
An gravis Titan ubi promit æstus?
An sub Occasu tepido nitebis,
Unde commisso resonare ponto
Audies Calpen? loca quæ sereni
Deprimes cæli? quis erit recepto
Tutus Alcida locus inter astra?
Horrido tantum procul a Leone
Det pater sedes, calidoque Cancro;
Ne tuo vultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam silvis hiemes recident,

cuncta pecuniam dixit Horatius, IV, Od. 9, 38. Similem vero ad potentes ἀποστροφὴν habuimus in Herc. Fur. vs. 746: «... quisquis est placide potens, Dominusque vitæ servat innocuas manus, Et incruentum mitis imperium regit, Animæque parcit, longa permensus diu Felicis ævi spatia, vel cælum petit, Vel læta felix nemoris Elysii loca, Judex futurus. *Sanguine humano abstine, Quicumque regnas.*» Vid. Anim.

1561. *Laudis est.* Id in tuam laudem proclamari debet. — *Purum*, incruentum, innocens.

1562. *Minimum procellis*, etc. Minimum licuisse procellis fati in tuas urbes. I. e. mortem minus exercuisse vim suam in urbes. Al. legunt *cruentis fatis*.

1565. *Sedis Arct.* Lucan. Phars. I, 50: «Tibi numine ab omni Cedetur, jurisque tui natura relinquet, Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi. Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe, Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri.»

1568. *Commisso.* Gaditano utrinque freto resonare Calpen bimarem audies. Vid. et Herc. Fur. 238.

1570. *Quis erit*, etc. Lucan. l. c. v. 56: «Ætheris immensi partem si presseris unam, Sentiet axis onus: librati pondera cæli Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni Tota vacet.» Intellige: quis erit locus cæli, quem receptus et ibi tanquam in statione Hercules tutum præstabit, vel si cælum oppugnent Gigantes? non enim Herculem decet loco tutum esse, sed Hercule locum. Vid. Anim.

1577. *Comam*, arboribus frondes.

Vel comam silvis revocabit æstas,
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.
Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda;
Ante descendet glacialis Ursæ
Sidus, et Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.
Te, pater rerum, miseri precamur,
Nulla nascatur fera, nulla pestis.
Non duces sævos miseranda tellus
Horreat: nulla dominetur aula,
Qui putet solum decus esse regni,
Semper impensum tenuisse ferrum.
Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Hem, quid hoc? mundus tonat: ecce, mœret,
Mœret Alcidæ pater: an Deorum
Clamor, an vox est timidæ novercæ?

1583. *In profundo.* In maris fundo.

1584. *Fretum dulci*, etc. prius mare amarum dulcescet.

1585. *Ponto vetito.* Causam cur nequeat Ursa mari mergi veriorem putant; quia circulus arcticus altiör est horizonte, ideo sidera illa arctica nobis nequeunt occidere. Vid. Brodæum, Miscell. lib. V, c. 25; et Thyest. 477; et Virg. G. I, 246.

1586. *Tuas laudes populi quiescant.* Debet hoc loco usus antiquæ locutionis spectari, quæ non raro verba absoluta pro agentibus usurpat. *Laudes* itaque *populi* quiescant, erit, celebrare cessent, a laudibus sive laudando quiescant, quomodo et Maro in Bucolicis, VIII, 4, dixit, « suos *requierunt* flumina cursus. »

1589. *Duces*, tyrannos.

1592. *Impensum.* Occupatum, evaginatum et vibratum, nunquam otiosum. Vid. Animadv.

1595. *Mundus tonat.* Apollodo- Bibl. lib. II, c. 7, 7, § 15, de eodem: καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς, λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι.

1596. *Mœret Alcidæ*, etc. Vid. Animadv.

1597. *Timidæ*, Junonis Alciden in cælum ascendentem timentis.

Hercule an viso fugit astra Juno?
Lassus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuere Manes
Herculem? et visum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: læto venit, ecce, vultu,
Quem tulit Pœan, humerisque tela
Gestat, et notas populis pharetras,
Herculis heres.

1599. *Lassus an pondus.* Cælum humeris sustinere Atlanta Mauritaniæ regem, Promethei fratrem, fingunt veteres, quod astrologiam et sphæram invenisset. Ovid. Met. IX, v. 273: « sensit Atlas pondus. » — *Lassus pondus* est, *quod ad pondus*, vel *ob pondus*. *Bonus animum*, est, *quod ad animum*. Et *omnia pius*, quomodo Macrobius loquitur, Saturnal. lib. VI, c. 8, erit, *per omnia pius*. Quæ aliaque hujuscemodi, ut Græcis sunt usitassima, ita apud Latinos rarius occurrunt. Vid. Animadv.

1600. *Magis tremuere.* Nunc quum exsanguis vadit ad inferos, quam quum victor et hostis grassatus est ad sedes Tartareas.

1604. *Quem tulit Pœan.* Filius Pœantis, Philoctetes, cui Hercules moriens arcum et suas sagittas legavit, quibus Trojam expugnari fatale erat. Vid. Æschyl. Soph. et Euripid.

ACTUS QUINTUS.

NUTRIX, PHILOCTETES.

NUTR. Effare casus, juvenis, Herculeos, precor,
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
PHIL. Quo nemo vitam. NUTR. Lætus adeone ultimos
Invasit ignes? PHIL. Esse jam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub hoc mundo Hercules
Immune nil reliquit : en domita omnia.
NUTR. Inter vapores quis fuit forti locus?
PHIL. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est : hæc quoque accessit feris.
Inter labores ignis Herculeos abiit.
NUTR. Edissere agedum, flamma quo victa est modo?
PHIL. Ut omnis Œten mœsta corripuit manus,
Huic fagus umbras perdit, et toto jacet

Act. V, sc. 1. Philoctetes Herculis mortem atque funus nuntiat.

1609. *Quo nemo.* Lætiore vultu mortem tulit, quam alius vitam.

1610. *Invasit*, etc. Vid. Anim.

1611. *Qui sub hoc mundo Hercules*, etc. Ille Hercules, qui sub cælo nullum monstrum, nullum tyrannum, nullam noxiam feram reliquit, terrorem jam flammis quoque et ignibus ademit.

1612. *Immune nil reliquit.* Id est, nihil intentatum reliquit. Ipse Hercules, Herc. Fur. vs. 955 : « Perdomita tellus, tumida cesserunt freta, inferna nostros regna sensere impetus : Immune cælum est ; dignus Alcidæ labor. » Vid. Animadv.

1613. *Vapores*, ignes.

1614. *Quod unum*, ignis, quocum non dimicavit hactenus.

1615. *Accessit.* Sese adjunxit.

1616. *Ignis*, devictus. — *Abiit*, locum cepit.

1618. *Manus.* Multitudo comitum et famulorum Herculis succidere arbores ad rogum jussa.

1619. *Huic.* Uno e famulis excidente. Vel, forsan, *huic* intelligendum de Hercule : « ad consti-

Succisa trunco : flectit hic pinum ferox
Astris minantem, et nube de media vocat;
Ruitura cautes movit, et silvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus, et Phœbum vetat,
Ultraque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos : resilit incussus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.
Commota tandem est : tunc cadens latam suî
Duxit ruinam : protinus radios locus
Admisit omnes : sedibus pulsæ suis,
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quæruntque lassis garrulæ pinnis domos.
Jamque omnis arbor sonuit, et sacræ quoque
Sensere quercus horridam ferro manum,
Nullique priscum profuit ligno nemus.

tuendum hujus rogum. » — *Fagus umbras*. Succisa enim. Vid. Anim. —Fagus, quum sit, ut plurimum, patulis diffusa ramis, multam umbram facit : iisque funditus abscisis, umbram perdit.

1620. *Flectit hic*, etc. Alius fagum dejicit, alius pinum. — Aut vide notam præcedent. in *huic*.

1621. *Vocat*, removet, aufert.

1622. *Ruitura*. Intellige de *Pinu*. — *Silvam trahit*. Ovid. Met. VIII, v. 776, in simili re : « Corruit, et multam prostravit pondere silvam. » Item Catullus, LXIV, v. 109 : « illa procul radicibus exturbata Prona cadit, lateque et cominus omnia frangens. »

1624. *Phœbum vetat*. Solis radios arcet ramorum umbrosa densitate.

1625. *Ultra nemus*, quod involvit.

1627. *Incussus*. Vide Var. Lectt. Sil. Ital. Bell. Pun. II, vs. 198 : « Occupat, incussa gemina inter tempora clava. » Lucan. III, 491 : « aries suspenso fortior ictu Incussus densi compagem solvere muri Tentat. » Alii, *excussus*.

1628. *Vulnusque*, etc. Hebetatur nec diffindere valet.

1632. *Volucres pererrant nemore succiso diem*. Id est, « volucres errant per diem nemore succiso, » et *diem* et elegans est propriumque auctoris pro *aere*. Vid. Animadv.

1634. *Sacræ*, incæduæ et Jovis consecratæ.

1636. *Nemus*. Vid. Animadversiones. Tum, intellige *nemus*, deo sacratum : ut Romani nemus ap-

Aggeritur omnis silva, et alternæ trabes
In astra tollunt Herculi angustum rogum.
Raptura flammas pinus, et robur tenax,
Et brevior ilex : silva contexit pyram
Populea, silva, frontis Herculeæ decus.
At ille, ut ingens nemore sub Nasamonio
Æger reclini pectore immugit leo,
Fertur : quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra non ignes, erant.
Ut pressit Œten, ac suis oculis rogum
Lustravit omnem, fregit impositus trabes,
Arcumque poscit : « Accipe hæc, inquit, sate
« Pœante, dona; munus Alcidæ cape.

pellabant in Aricino agro locum Dianæ sacrum; et mox Noster, *frontis Herculeæ decus*, i. e. silva Herculi sacra.

1637. *Alternæ*, alternatim positæ.

1638. *Herculi angustum rogum.* Pro magnitudine scil. heroici corporis. Omnino vera explicatio, ait Gronovius. Nugæ de pyramidali forma, de qua longum disserit Delrius in suis notis, ubi vide, si libet.

1639. *Raptura flammas pinus.* Vid. Animadv. Scilicet quum arbor sit pinguissimi ligni pinus, ex illa faces ut plurimum ab antiquis conficiebantur, atque hinc *pinus* pro tæda toties apud poetas occurrit; nec ignorare jam possumus, cur *raptura flammas* Senecæ dicatur pinus; quem ab omni ignominiæ ac supinitatis nota jam liberum præstamus. Simile illud Maronianum, Georg. II, 68 : « Nascitur et casus abies visura marinos. »

1640. *Et brevior ilex.* Ilicis enim species duæ, *minor* et *prolixior*, ut docuit Heinsius ex Columella, IX, 4. — *Contexit pyram.* Ex Virgilio, Æn. VI, 216 : « Ingentem struxere pyram : cui frondibus atris Intexunt latera. »

1641. *Silva, frontis.* Repetitio, cum emendatione et actu, qualis Virg. Æn. IV, 248 : « *Atlantis duri*, cælum qui vertice fulcit, *Atlantis*, cinctum adsidue cui nubibus atris Piniferum caput, etc. » — *Frontis Herculeæ decus.* Herc. Fur vs. 912, ipse Hercules : « Populea nostras arbor exornet comas. » Chorus ad Herculem ibidem 893 : « Stantes sacrificus comas Dilecta tege populo. » Supra de Hercule, vs. 789 : « Cana revinctus populo horrentem comam. » Hoc est, alba populo.

1642. *Nasamonio*, Libyco. Nasamones autem Libyæ populi, ad Syrtes, ex naufragiis et rapto viventes. Herodot. lib. IV.

1647. *Fregit*, pondere suo.

1649. *Munus Alcidæ cape.* Id est, ita cape, ut in beneficio ponas. In-

«Has Hydra sensit : his jacent Stymphalides,
«Et quidquid aliud eminus vici malum.
«Virtute felix juvenis, has nunquam irritas
«Mittes in hostem : sive de media voles
«Auferre volucres nube, descendent aves,
«Et certa prædæ tela de cælo fluent.
«Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam :
«Librare telum didicit, et certam dare
«Fugam sagittis : ipsa non fallunt iter
«Emissa nervo tela : tu tantum, precor,
«Accommoda ignes et facem extremam mihi.
«Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
«Mecum per ignem flagret : hoc telum Herculem
«Tantum sequatur : hoc quoque acciperes, ait,
«Si ferre posses : adjuvet domini rogum.»
Tum rigida secum spolia Nemeæi mali

ter *donum* et *munus* quid distet, vide Ernest. Lat. Synonim. I, 367.

1650. *Stymphalides*. Herc. Fur. v. 244. Pausan. Catul. et Plin.

1652, *Virtute felix*. Dicit *virtute felicem* Stoicorum more, qui fortuna non fuit felix, vel ob Lemnium malum. — Virtus felicitatis anchora. Pindarus, Isthm. VI, 14 : Εἰ γάρ τις ἀνθρώπων δαπάνᾳ τε χαρεὶς Καὶ πόνῳ πράσσει θεοδμάτους ἀρετὰς, Σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει Δόξαν ἐπήρατον· ἐσχατιαῖς Ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν θεότιμος ἐών. — Vid. Animadv.

1655. *Certa prædæ*, tenentia prædam. — *De cælo fluent*. Id est, decident vel descendent.

1657. *Didicit*. Hic arcus, quem formavi, et pæne edocui.

1660. *Facem*, funebrem, qua rogus accendebatur : id est, incende mihi rogum ; quod defuncto necessitudine devincti præstabant officium, sed aversa facie. Æn. VI, 224.

1661. *Hic nodus*. Clava. Apoll. στιβαρὸν δ' ἔχεν ὄζον ἐλαίης. Farn. — Senecæ repugnat Pisander ; qui clavam Herculis æream fuisse refert ; at Seneca, ligneam. Nodum enim hic, clavam interpretor nodosam : unde dictum, nodosæ robora clavæ. Homines nempe, nondum reperto telorum usu, lignis vim hostium retundebant, et ideo Herculi clavam veteres attribuerunt. Diodor. Sic. lib. I. Scio quæ de nodo Herculeo prodita sint a Plinio, Hist. N. lib. XXVI, cap. 6 ; Macrob. Saturn. lib. I, cap. 19, et Festo in voce *Cingulum :* sed hunc locum ad ea accommodare, hominis foret aliud agentis. Delr.

1665. *Spolia*. Pellem leonis Ne-

Arsura poscit : latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lacrimas dolor
Cuiquam remisit : mater in luctum furens
Deduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exserta vastos ubera in planctus ferit;
Superosque et ipsum vocibus pulsans Jovem,
Implevit omnem voce feminea locum.
« Deforme letum, mater, Herculeum facis :
« Compesce lacrimas, inquit : introrsus dolor
« Femineus abeat. Juno cur lætum diem
« Te flente ducat? pellicis gaudet suæ
« Spectare lacrimas : contine infirmum jecur,
« Mater : nefas est ubera atque uterum tibi
« Laniare, qui me genuit. » Et dirum fremens,
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Quum victor Erebi Dite contemto rediit

meæi. Hac autem pelle leonis Hercules indutus fingitur; quia prisci homines ferarum pellibus corpora sua tegebant. Lucret. V, 952.

1666. *Latuit.* Pellis rogum summum texit.

1668. *In luctum deduxit.* Luctui nimium indulgens.

1669. *Avidum*, planctus et pœnæ avidum.

1670. *Exserta*, etc. Vid. Animadvers. ad calcem fab.

1671. *Pulsans*, compellans. — *Pulsari*, observante Barthio ad Stat. Theb. IV, v. 477, omnia dicuntur, quæ sollicitantur, evocantur et quocumque modo poscuntur. Bad.

1672. *Implevit*, etc. Vid. Anim.

1673. *Deforme letum.* Huc facit illud Ennii : « Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu Faxit. » Quod quum adduxisset Cicero de Senect. cap. 73, subjicit : « Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. »

1674. *Introrsus dolor.* Sic etiam loquitur in Consol. ad Polyb. 24 : « projice omnem ex toto animo dolorem; sin minus, *introrsus* abde et contine, ne appareat. »

1676. *Lætum diem ducat*, tuis insultans lacrimis.

1677. *Jecur*, affectus, quorum jecur sedes. Sup. v. 574.

1678. *Ubera*, pro more lugentium. Vid. Troad. v. 88.

1679. *Qui me genuit.* Plato in Menexeno: καὶ φέροντες μὲν ἀνδρείως καὶ συμφορὰς, δόξουσι τῷ ὄντι ἀνδρείων παίδων πατέρες εἶναι, καὶ αὐτοὶ τοιοῦτοι· ὑπείκοντες δὲ, ὑποψίαν παρέξουσιν ἢ μὴ ἡμέτεροι εἶναι, ἢ ἡμῶν τοὺς ἐπαινοῦντας καταψεύδεσθαι. — *Et dirum.* Et hoc dicto,

Tremente Fato, talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?
Hæsere lacrimæ : cecidit impulsus dolor
Nobis quoque ipsis : nemo morituro ingemit.
Jam flere pudor est : ipsa, quam sexus jubet
Mœrere, siccis hæsit Alcmene genis;
Stetitque nato pæne jam similis parens.
NUTR. Nullasne in astra misit ad Superos preces
Arsurus, aut in vota respexit Jovem?
PHIL. Jacuit sui securus, et cælum intuens;
Quæsivit oculis, arce an ex aliqua pater
Despiceret illum : tum manus tendens ait :
«Quacumque parte prospicis natum, pater,

Hercules, dirum fremens, talis incubuit rogo, qualis, etc.

1683. *Sic triumphans*, ut ille rogo.

1684. *Illo vultu*, tam læto et sereno, ut ille habebat.

1685. *Tyrannus*. Rex, τύραννος. Sic enim primitus Græcis usurpatum. — *Quanta pax obitus tulit!* id est, quam placide mortem obiit. *Pax* enim, interprete Lipsio ad Senec. de Ira, III, 41, est animi introrsum compositi et æquabilis tranquillitas; et eadem voce similiter usus est Seneca de Constant. Sap. cap. 5, in laudando Stilpone philosopho : « Inter micantes ubique gladios, et militarem in rapina tumultum, inter flammas et sanguinem stragemque impulsæ civitatis, inter fragorem templorum super Deos suos cadentium uni homini *pax* fuit. » Nec aliter Ovid. Met. II, v. 858, de Jove in taurum verso : « Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen, *Pacem* vultus habet. » Ob oculos autem hic Noster habuit illud Euripidis, Andromach. vs. 1146, de moribundo Neoptolemo : εὐδία δ' ὅπως ἔστη, φαεινοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις. BAD. — Hunc locum ita intelligit Schroderus : « Quanta commoda nobis quoque ipsis tam placidus Herculis obitus attulit? » Vid. cæterum varias lectiones.

1686. *Hæsere*, cessavere. — *Cecidit impulsus dolor*. Non *impulsus* hic est, inquit Schroderus, *eversus*, *perculsus*, quod vult Gronovius, sed incitatus : scilicet, ille dolor, qui modo intuitu diræ mortis Herculeæ nobis suboriebatur, augescebatque, is cecidit. Gronovio assentior.

1689. *Siccis*, non lacrimantibus.

1692. *In vota*. Ut vota conciperet.

1693. *Sui securus*. Nullo motu turbatus.

1694. *Arce*; ex aliqua parte cæli.

«Te, te, pater, quem nocte commissa dies
«Quæsivit unus, si meas laudes canit
«Utrumque Phœbi litus, et Scythiæ genus,
«Et omnis ardens ora, quam torret dies:
«Si pace tellus plena, si nullæ gemunt
«Urbes, nec aras impius quisquam inquinat:
«Si scelera desunt; spiritum admitte hunc, precor,
«In astra. Nec me mortis infernæ locus,
«Nec mœsta nigri regna conterrent Jovis:
«Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos,
«Pater, erubesco: nube discussa diem
«Pande, ut Deorum vultus ardentem Herculem
«Spectet: licet tu sidera et mundum neges,
«Ultro, pater, cogere: si voces dolor
«Abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus,
«Et redde Fatis: approba natum prius.
«Ut dignus astris videar, hic faciet dies.
«Leve est, quod actum est: Herculem hic, genitor, dies
«Inveniet, aut damnabit». Hoc postque addidit:

1697. *Te, te, pater*. Respondet huic τὸ *precor* versu 1703. Te, pater, te, inquam (quem dies unus, qui scilicet duabus noctibus intercedere deberet, non sensit, dum lux non est continuatis duabus noctibus, qui uno die desideratus es mundo cæloque defuisti, dum me generas), precor, si res dignas cælo gessi, recipe me in consortium Deorum.

1699. *Utrumque*, oriens et occidens. — *Scythiæ*, septemtrio.

1702. *Impias*. Intelligit autem Busiridis aras.

1703. *Si scelera*, si scelerati homines, mea opera devicti, cessent.

1705. *Nec mœsta*, etc. Vid. Anim.

1706. *Umbra*. Τύπος, εἴδωλον, nudum simulacrum, quod (vel anima in cælum, unde deducta est, vel in alia corpora migrante corpore, quod in elementa dissolvitur) petit inferos.

1710. *Si voces*. Revocat, corrigitque supremam vocem *cogere*, i. e. ego te cogam.

1712. *Fatis*, inferis, mortis loco.

1713. *Ut dignus*. Quæ per vitam strenue feci, non tam astra merebuntur, quam mors hæc acerba, quam fortiter fero.

1715. *Inveniet*. Judicium de illo faciet. Vid. Animadv.

«Noverca cernat, quo feram flammas modo.»
Flammas poposcit: «Hoc age, Alcidæ comes;
«Non segnis, inquit, corripe Œtæam facem.
«Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
«Scelus refugit? redde jam pharetras mihi,
«Ignave, iners, inermis: en nostros manus
«Quæ tendat arcus. Quis sedet pallor genis?
«Animo faces invade, quo Alciden vides
«Vultu jacere: respice arsurum, miser.
«Vocat ecce jam me genitor, et pandit polos.
«Venio, pater.» Vultusque non idem fuit.
Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, et reluctantur faces,
Et membra vitant: sed recedentem Hercules
Insequitur ignem. Caucasum, aut Pindum, aut Athon
Ardere credas: nullus erumpit sonus.
Tantum ingemiscit ignis: o durum jecur!

1717. *Alcidæ comes*, Philocteta.

1718. *Facem*. Sup. v. 1660.

1719. *Quid dextra*, etc. Vid. Animadv.

1721. *En nostros*. Tuæne manus dignæ arcu et sagittis meis, quæ trepidant rogum meum incendere?

1726. *Pandit polos. Venio, pater*. Avien. Carm. Minor. VI, E. v. 9: « Ibis in optatas sedes; nam Jupiter æthram Pandit, Feste tibi, candidus ut venias. Jamque venis; tendit dextras chorus inde Deorum, Et toto tibi jam plauditur ecce polo. » BAD.

1727. *Pinum impuli*, tum facem rogo subdidi.

1728. *Refugit ignis*. Prudentius, Peristeph. VI, v. 115: « Hos quum defugeret vaporus ardor, Orant, ut celer ignis advolaret. »

1729. *Vitant*. Devitant Herculem, quasi non tentare ausæ.

1730. *Caucasum*, montem Scythiæ. — *Pindum*, Thessaliæ montem. — *Athon*, montem inter Macedoniam et Thraciam.

1732. *Tantum ingemiscit ignis*. Hoc miraculi loco addit, tantum ignem non crepare immani strepitu, ut solet, sed, quasi reverentia Herculis, tenuem quemdam et instar gemitus sonum edere. Exclamatio respicit sequentia: o durum et invictum hominem! vel Tiphoeus aut Enceladus fracti mollitique in gemitus et ejulationes forent, tanto incendio impositi: at ille nihil commotus, etc. GRONOV. — Vid. Animadvers. — *Durum jecur*. Sic solet vocare jecur Herculis. Vid. supra, vs. 574.

Typhon in illo positus immanis rogo
Gemuisset ipse, quique convulsam solo
Imposuit humeris Ossan Enceladus ferox.
At ille medias inter exsurgens faces
Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens:
« Nunc es parens Herculea; sic stare ad rogum,
« Te, mater, inquit, sic decet fleri Herculem. »
Inter vapores positus et flammæ minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta torquens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum ministris: urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus; vix habent flammæ fidem:
Tam placida frons est, tanta majestas viro!
Nec properat uri: quumque jam forti datum
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,
Totasque in ignem vertit, et qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet: ast illi graves
Luxere barbæ; quumque jam vultum minax

1738. *Sic stare.* Intrepide; non lacrimata, non gemens. Vid. Anim.

1742. *Torquens.* Vid. Animad.

1743. *Gerit aliquid ardens.* Dat vires nobis et animos cum ardore. Ne moriatur nihil agens, alios ad virtutem adhortatur, monet. Oportet enim sapientes *in actu mori*, quemadmodum loquitur Seneca, Epist. 8. Idem de Otio Sapientis, c. 28: « Nos sumus, apud quos usque eo nihil ante mortem otiosum est, ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa. » De Lycurgo Plutarchus in ejus vita, c. 29, 3: ἐτελεύτησεν οὖν ἀποκαρτερήσας, ἡγούμενος χρῆναι τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν μηδὲ τὸν θάνατον ἀπολίτευτον εἶναι, μηδ' ἀργὸν τὸ τοῦ βίου τέλος, ἀλλ' ἐν ἀρετῆς μερίδι καὶ πράξεως γενόμενον.

1744. *Urere*, crederes ipsum ira ardentem qui alios in ignem agit, non ab eo comburi.

1745. *Vix habent*, etc. Vix credebant eum esse ignem.

1747. *Nec properat*, quo pœnæ eripiatur. — *Quumque jam*, etc. et quum existimavit se satis concessisse fortitudini quam exposcebat mors Herculis.

Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non pressit oculos. Sed quid hanc mœstam intuor
Sinu gerentem? reliquias magni Herculis
Cineremque jactans squalidum Alcmene gemit.

ALCMENA, PHILOCTETES.

ALCM. Timete, Superi, fata : tam parvus cinis
Herculeus est : huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me! cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est : ecce vix totam Hercules
Complevit urnam : quam leve est pondus mihi,

1755 sq. *Sed quid hanc mœstam intuor*, etc. Sed quid rei est, quod video mulierem nescio quam in lugubribus suffarcinatam? Hæc dubius primo : et respondet sibi : Alcmena est cum squalore et gemitu, feralem urnam filii tenens et agitans. *Jactans* nihil est aliud quam movens, promovens portando : ut nave *jactamur* aut curru, quum provehimur. *Jactari* dicit moveri per alium, ut passim *fugere* moveri per se, et *fugam* pro incessu vel exitu. Quin et Alcmenæ subsequentia verba non ita sunt ignava, ut sine gesticulatione atque agitatione hypocritæ, quam necesse est sequi jactationem urnæ, bene pronuntientur. Quid ille Polus apud Gellium? qui in Electra tenens ossa filii, quasi Orestis, omnia complevit luctu et lamentis vivis atque spirantibus, non commovit se, jactavit, adflictavit? ergo et *jactavit* cinerem. GRONOV.

1756. *Sinu gerentem*. Ad proximos spectabat, reliquias colligere, sinu fovere, et componere. De qua forma, vid. Troad. v. 799.

Act. V, sc. II. Suam ex Herculis morte cladem Alcmena dolet.

1758. *Superi*. Vel mortales, qui supera aura vescimini; vel potest intelligi de Diis; namque Jovis sepulcrum ostendit Creta, et Bacchi simulacrum inferos adiit. — *Parvus*, quem parva capiat urna.

1759. *Decrevit*, decrescendo devenit ad hunc parvum pulverem.

1760. *O quanta, Titan*, etc. O Sol, quanta moles in nihil abiit! Suspicor tamen hunc locum, et Titana de Hercule ab auctore conceptum fuisse. FABR.

1763. *Complevit urnam*. Imitatur Ovidianum illud, Met. XII, 615 : « ... de tam magno restat Achille nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. » — *Leve*. Quod digitis quinque levatur onus,

Cui totus æther pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima
Rediturus ibas : quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? non ut et spolium trahas,
Rursumque Theseus debeat lucem tibi :
Sed quando solus? mundus impositus tuas
Compescet umbras, teque Tartareus canis
Inhibere poterit? quando Tænareas fores
Pulsabis? aut quas mater ad fauces agar,
Qua mors aditur? vadis ad Manes iter
Habiturus unum : quid diem questu tero?
Quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Jovi?
Quis me parentem natus Alcmenam suam
Tantus vocabit? O nimis felix, nimis,
Thebane conjux! Tartari intrasti loca
Florente nato; teque venientem Inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. Quas petam terras anus,
Invisa sævis regibus, si quis tamen
Rex est relictus sævus? Hei miseræ mihi!
Quicumque cæsos ingemunt nati patres,
A me petent supplicia : me cuncti obruent.
Si quis minor Busiris, aut si quis minor

1764. *Cui totus*, etc. Cælum. Herc. Fur. vs. 70 et seqq.

1767. *Spolium*. Cerberum.

1768. *Theseus*. Herc. Fur. 806; Hipp. 845.

1769. *Quando solus?* Quando, quomodo poteris remeare solus? Et ea est interrogatio qua potius negatur, quasi diceret, *non remeabis*.

1772. *Aut quas mater*, etc. Vid. Animadv.

1774. *Unum*. Unicum, non remeabile, nec iterabile.

1779. *Thebane*. Amphitryo Thebanorum dux, mihi conjux, Herculis pater (putative), tu felix, qui intrasti, etc. Farn.

1783. *Sævis regibus*, tyrannis.

1785. *Cæsos*, patres tyrannos ab Hercule cæsos.

1786. *Minor*, filius Busiridis, aut Antæi, qui fratres fuerunt.

Antæus urbes fervidæ terret plagæ,
Ego præda ducar : si quis Ismarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri : forsitan pœnas petet
Irata Juno : totus uretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcide vacat.
Pellex supersum, supplicia de qua exigat.
Ne parere possem, fecit hic natus mihi
Utero timendo. Quæ petam Alcmene loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Ubique per te nota : si patriam petam,
Laresque miseros, Argos Eurystheus tenet.
Marita Thebas regna et Ismenon petam,
Thalamosque nostros, in quibus quondam Jovem
Dilecta vidi? proh nimis felix, nimis,
Si fulminantem et ipsa sensissem Jovem!
Utinam meis visceribus Alcides foret

1788. *Fervidæ plagæ*, id est, Libyæ., quam uterque terruit. Claudianus, XVIII, v. 179: « pœnis hominum plaga personat ardens. »

1789. *Si quis.* Si quis Diomedis filius patrem suis equis objectum vindicare voluerit. Herc. Fur. 227.

1790. *Cruenti*, vel humana carne pascentis equos, vel ab ipsis devorati.

1792. *Uretur dolor.* Eodem plane modo *uri dolor* dicitur, ut flamma Catullo, LXI, vs. 177: « Illi non minus ac tibi Pectore uritur intimo Flamma. » Et intellige; omnem in me dolorem, iram, effundet.

1794. *Supplicia*, etc. ut in me iras exerceat. Vid. Animadv.

1795. *Ne parere*, ne partus pœnam a me exigat Juno.

1796. *Utero timendo.* Id est, quum uterus timeretur. Medea, vs. 651 : « perarate pontum *Fonte timendo.* » Nemesianus de Laudibus Herculis, v. 21 : « Jam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent, Alcmenam tendebat onus; sed regia Juno Impedit, et partus prohibet nascique vetabat, Ut *metus* ipse Deum monstret. »

1800. *Laresque*, domum patris mei Electryonis. Alcmena lares vocat miseros, miseranda sui fata parentis, de quibus vide Hesiod. Scut.

1801. *Marita regna*, regna mariti mei.

1804. *Si fulminantem*, si ipso concubitu periissem fulmine, ut Semele. Herc. Fur. 457.

1805. *Utinam meis*, etc. Vid. Animadv.

Exsectus infans! nunc datum est miseræ, datum,
Videre natum laude certantem Jovi:
Ut hoc daretur scire, quid fatum mihi
Eripere posset! Quis memor vivet tui,
O nate, populus? omne jam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisque terram nobilem quæram tuis?
Hic dira serpens cecidit; hic ales fera;
Hic rex cruentus; hic tua fractus manu,
Qui, te sepulto, possidet cælum, leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebrique populos? hæc quoque est meritis tuis
Defensa tellus: stabula cum regno jacent.
Hic pax cruento rege prostrato data est;
Ubi enim negata est? Quod tibi infelix anus
Quæram sepulcrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis: reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis jam petet, quis poscet Alcmenes onus?

1806. *Exsectus*, ut ex utero Semeles Bacchus extractus fuit.

1807. *Jovi*, cum Jove: Hellenismus Latinis usitatus.

1808. *Ut hoc daretur*, etc. Vid. Var. Lect. — *Hoc scire*, te mihi, ita fulminatæ ac mortuæ, superstitem esse. — *Quid*. Quantum heroa.

1811. *Cleonas*. Oppidum inter Argos et Corinthum, juxta quod sylva Nemeæa.

1812. *Meritisque terram nobilem*. Intelligit Arcadiam, quam designavit, vs. præced. Sic paulo infra, vs. 1818, quum nominasset Thracias gentes Hebrique populos, addit: « hæc quoque est meritis tuis Defensa tellus. » Nempe Thracia.

1813. *Hic dira*, in Lerna palude Argiva. — *Hic ales*, in Arcadia Stymphalis volucris, vel cerva æripes alata.

1814. *Hic rex*, in Ægypto, Thracia, Libya, Busiris, Diomedes, Antæus. — *Hic tua... leo*. Herc. Fur. 225; Thyest. v. 856.

1817. *Defendat*, etc. Vid. Anim.

1821. *Ubi enim negata est?* Sensus est: cui populo supplicanti pacem concedere tu denegavisti?

1825. *Petet*, supplex; *poscet*, jure. — *Alcmenes onus*. Urnam Her-

Quæ tibi sepulcra, nate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis : fama erit titulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes.
Complectere ossa : reliquiæ auxilium dabunt.
Erunt satis præsidia : terrebunt tuæ
Reges vel umbræ. PHIL. Debitos nato quidem
Compesce fletus, mater Alcidæ inclyti.
Non est gemendus, nec gravi urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetant mœrere, degeneres jubent.
ALCM. Sedabo questus? vindicem amisi parens
Terræ atque pelagi, quaque purpureus dies

culis continentem cineres et reliquias, quam gesto.

1826. *Quæ tibi sepulcra*, etc. Vid. Animadv.

1827. *Hic totus orbis*. Supple, erit tumulus. — *Titulus*. Monumentis mortuorum addebantur tituli, sive inscriptiones honorum et rerum gestarum commemoratione adornatæ. Totus orbis, inquit, erit tibi sepulchrum vel tumulus : fama autem titulus. GRONOV. — Addæus, epigrammate X: Τύμβον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος ἥν τις ἀείδῃ, Ἠπείρους κείνου σῆμα λέγ' ἀμφοτέρας. Lucanus, VIII, v. 798: « Romanum nomen et omne Imperium Magno est tumuli modus. » Diodorus junior Epigram. XI: Μὴ μέτρει Μάγνητι τὸ πηλίκον οὔνομα τύμβῳ, Μηδὲ Θεμιστοκλέους ἔργα σε λανθανέτω. Τεκμαίρου Σαλαμῖνι καὶ ὁλκάσι τὸν φιλόπατριν, Γνώσῃ δ' ἐκ τούτων μείζονα Κεκροπίης. BADEN.

1828. *Herc. ciner. tenes*. Ipsa scilicet se confirmat, negatque trepidandum, vel ideo quod Herculis cineres teneat, quorum reverentia tutam possit præstare.

1833. *Nec gravi urgendus nece*. Nec pondus leti sentire potest.

1834. *Virtute*. Quisquis ab injuria oblivionis et mortalitatis se vindicavit, sibique sua virtute ad cælum struxit iter.

1836. *Fortes*, etc. Hoc admittendum, quasi præceptum sapientum, non lugendos, qui sibi virtute sua nomen æternum assequuti sunt, sed eos qui nihil in vita egerunt, quo posteris se bene vixisse testentur. — *Vetant*. Ea est eorum fortitudo, ut per eam quasi vetitum sit.

1837. *Parens*. Ego mater illius, qui monstris orbem liberavit.

1838. *Purpureus dies*, sol rubens. Ovid. Fast. III, 518: « Purpureum rapido qui vehit axe diem. » Virgilium imitatus est quoque, qui Æneid. VII, 100: « .. quorumque a stirpe nepotes, Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens

Utrumque clara spectat Oceanum rota.
Quot misera in uno condidi natos parens?
Regno carebam, regna sed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci: nil ego a Superis petii
Incolume nato: quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu.
Quidquid negaret Jupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, et toto stetit
Succisa fetu, bisque septenos greges
Deplanxit una: gregibus æquari meus
Quot ille poterat? matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat: Alcmene dabo.
Cessate, matres, pertinax si quas dolor
Adhuc jubet lugere, quas luctus gravis
In saxa vertit: cedite his cunctæ malis.
Agedum, senile pectus, o miseræ manus,

Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.»

1839. *Utrumque.* Orientem et occidentem, Indicum et Gaditanum. —*Clara rota*, pro curru nitido, ut loquitur Horat. Carm. Sæcul. v. 9: sed hic *curru ducit*, non *rota spectat*.

1840. *Quot natos.* Quem virum, non pluribus natis imparem!

1841. *Poteram*, per filium regum victorem.

1843. *Votis peperci*, non votis Deos fatigavi: neque opus, quum nihil non mihi filius suppeditaret.

1845. *Ardor*, ardens amor et virtus. Virg. Æn. VI, 130.

1846. *Hac manu*, Herculis; cujus indicat cineres.

1847. *Daret.* Dedisset mihi matri quidquid negasset ipse Jupiter.

1849. *Deflevit.* Absolute dicitur, ut apud Virgilium, Æn. XI, 59: «Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus Imperat.» Propert. I, XVI, 13: «Hæc inter gravibus cogor deflere querelis.» — *Aliqua mater.* Niobe, quæ numerosa prole superbiens Latonæ se prætulit; liberis itaque XIV a Phœbo et Diana interfectis, ipsa dolore stupescens, in saxum mutata est. Herc. Fur. 390.

1851. *Gregibus*, natorum.

1853. *Alcmene dabo.* Constituam documentum, quomodo fortissimum filium lugeat mater.

1856. *In saxa*, ut Nioben.

Pulsate : et una funeri tanto sat est
Grandæva anus defecta; quod totus brevi
Jam quæret orbis? expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia : invidiam ut Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

ALCMENA.

Flete Alcmenen, magnique Jovis
Plangite natum, cui concepto
Lux una periit, noctesque duas
Contulit Eos : ipsa quiddam
Plus luce perit : totæ pariter
Plangite gentes, quarum sævos
Ille tyrannos jussit Stygias
Penetrare domos, populisque madens
Ponere ferrum : fletum meritis
Reddite tantis : totus, totus
Personet orbis : fleat Alciden
Cærula Crete, magno tellus
Cara Tonanti : centum populi
Brachia pulsent.

1860. *Quod totus brevi Jam*, etc. *Brevi jam* non magis in Senecæ quemquam offendere debet, quam in Terentio *posthac jam*, Heaut. IV, 3, 1 (edit. nost. vs. 679) : « Nulla mihi res *posthac* jam intervenire tanta. »

1861. *Invidiam ut Deis Lugend. facias.* Ut Dî male audiant ob tuam infelicitatem.

1862. *Advoca in planctum genus.* H. e. totum orbem, gentes omnes.

Act. V, sc. III. Tristis Alcmena næniam canit.

1864. *Cui concepto.* Herc. Fur. vs. 24 et seq.

1866. *Contulit.* Conjunxit in unam, die non intermissa. — *Eos.* Aurora. — *Quiddam.* Hercules, propter quem illius diei lux periit.

1870. *Madens*, subditorum cæde.

1874. *Crete.* Insula clara incunabulis Jovis; vel propter taurum Cretensem ab Hercule interfectum. Agam. vs. 833. — *Centum*, Cretæ. Ἑκατομπόλεως.

1875. *Cara Tonanti.* Callimachus, hymno in Delum, vs. 272 :

Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idæa quassate manu :
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum :
Jacet Alcides non minor ipso,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phœbo nascente genus.
Juga Parthenii Nemeæque sonent,

..οὐδέ τις ἄλλη Γαιάων τοσσόνδε θεῷ περιλήσεται ἄλλῳ· Οὐ Κεγχρὶς χρείοντι Ποσειδάωνι Λεχαίῳ, Οὐ πάγος Ἑρμείῃ Κυλλήνιος, οὐ Διῒ Κρήτη, Ὡς ἐγὼ Ἀπόλλωνι. Nemesianus de Laudibus Herculis, 131 : « Idam Superis spectantibus ignis Dissipat, et magno cunabula grata Tonanti Igne suum monstrum, si fas est dicere, vincit. »

1877. *Nunc Curetes*. Populus Cretæ, qui ex Ida, Phrygiæ monte, in Cretam trajecerunt : vel, ut alii, ex Ida, Cretæ monte, Opis digitis tacta nati sunt, unde et Dactyli Idæi dicti, qui quod ἐνόπλιον saltantes vel cymbala pulsantes Jovis vagitum celarent, ἀπὸ τῆς κουροτροφίας nomen sortiti sunt. Alii ἀπὸ τῆς κουρᾶς dicti, quod anteriorem partem capitis detonsi, posteriorem fovebant, vel quod mollium puellarum ritu comam foverent. Farn. — Ex veteribus Euphorion, Eratosthenes, Orpheus et Callisthenes; ex neotericis Scaliger in libro De arte poetica, et Dion. Lambinus, in lib. II Lucretii, vs. 629, Curetes et Corybantes eosdem esse scripserunt : sed Semus Delius, Archemachus Euboicus et Echemenes diversos esse crediderunt : quos Seneca hic sequitur; et Ovidius, Fast. IV, 210 : « Hoc Curetes habent; hoc Corybantes opus. » Delr. — *Corybantes*. Corybantes dicti, q. κορύπτοντες; aliis tamen a κόρη, pupilla, quod vigiles Jovem custodirent : aliis παρὰ τὴν κόρυθα, quod galeati incederent. Lucianus tamen Corybantes Phrygiæ Cybeles, Curetas Cretensis Jovis sacerdotes esse vult. Farn.

1878. *Arma Idæa*. Cymbala, tibiam, tympana, buxum Berecynthium : vel simpliciter, arma. Curetes enim primum ἐνόπλιοι saltasse dicuntur, ut Jovis vagitum armorum tinnitu canoro obtegerent.

1879. *Illum*. Heroem sc. fortem.

1880. *Verum*. Non falsum et imaginarium, ut Jovis quondam.

1884. *Nondum Phœbo nascente genus*. Qui nati eratis, genus unum et gentem formabatis, ante quam sol nasceretur. Statius Arcades *veteres astris Lunaque priores* vocat, Theb. IV, 275. Censorin. D. N. 19.

1885. *Juga Parthenii*, montis Arcadiæ. Farn. — « Arbitror, inquit Gruterus ad h. l. hoc auctoris germanum, compellatisque Arcadibus enumerare eum loca aliquot Arcadiæ : nam Parthenium montem ejusdem regionis, testatur Pau-

Feriantque graves Mænala planctus.
Poscite magno Alciden gemitu :
Stratus vestris setiger agris ;
Alesque sequi jussa sagittas,
Totum pennis velata diem.
Flete, Argolicæ, flete, Cleonæ;
Hic terrentem mœnia quondam
Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. Date Sithoniæ
Verbera matres, gelidusque sonet
Planctibus Hebrus : flete Alciden,
Quod non stabulis nascitur infans,

san. in Arcad. in fin. Strab. Geogr. VIII, p. 578, et alii. — *Nemeæque.* Sylvæ inter Cleonem et Phliuntem, in qua Hercules leonem interfecit.

1886. *Mænala*, Arcadiæ mons.

1888. *Setiger.* Aper Erymanthius, Mænalius, Arcadius.

1889. *Alesque*, etc. Stymphalides, quæ solis radios pennis obumbrarunt, sagittis Herculis, vel, ut alii, ærei crotali crepitu pulsæ.

1890. *Totum pennis velata Diem.* Hypallage est, pro : cujus pennis velata est dies; et similis illi apud Horatium, Sat. I, 6, 74 : « Suspensi loculos tabulamque lacerto. » Aliter hoc effertur in Herc. Fur. vs. 243 : « Solitasque pennis condere obductis diem. » Rursus aliter in Phœniss. v. 422 : « atra nube subtexens diem Stymphalis. »

1891. *Cleonæ.* Peloponnesi oppidum. Plin. IV, c. 5 et 6. Ovid. Metam. VI, 417.

1897. *Quod non st. nascitur inf.* Flete, inquit, Herculem, quia jam non nascuntur vobis pueri, futuri pabulum equis. Lips. — Diomedes Tindæ in Thracia regnans, fingitur equos humano sanguine et carnibus pavisse, etiam auctore Plinio, H. N. lib. IV, c. 11 : hic quum Herculis catamitum Abderum equis epulandum apposuisset, ubi supervenit Hercules, suo ipse supplicio periit : equi clava necati, ut tradit Tatianus in Orat. ad Græcos, et Philostratus in Imaginibus. Hyginus consentit, sed vult Abderum fuisse Diomedis famulum, et addit equorum nomina, cap. 30 : feritatem eorum Euripides in Alcestide describit. Philostratus equas fuisse contendit, quæ furiatæ maribus ferociores : idque illorum traditioni aptius, qui volunt has fuisse equas κατὰ ἀναλογίαν; veras Diomedis filias, scorta nobilia, quæ hospites pecuniis denudare et exspoliare consueverant, et propter effrenatam libidinem equas appellatas. Palæphato placet fabulæ locum datum, eo quod Diomedes equis alendis, et præsepiorum multitudine, subditorum opes exhauriret. Delr.

Nec vestra greges viscera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryonæ.
Mecum miseræ plangite gentes.
Audiat ictus utraque Tethys.
Vos quoque mundi turba citati,
Flete Herculeos, numina, casus.
Vestrum Alcides cervice meus
Mundum, Superi, cælumque tulit,
Quum stelligeri vector Olympi,
Pondere liber spiravit Atlas.
Ubi nunc vestræ, Juppiter, arces?
Ubi promissi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. Quoties telis
Facibusque tuis ille pepercit!
Quoties ignis spargendus erat!
In me saltem jaculare facem,
Semelemque puta. Jamne Elysias,
O nate, domus, jam litus habes,
Ad quod populos Natura vocat?

1898. *Vestra viscera*. Fructus vestrorum viscerum, vel, vos ipsos.

1899. *Antæo*. Sup. v. 24.

1900. *Plaga*, etc. Hispania.

1902. *Audiat*. Solem Orientem emittens et occidentem excipiens. Vid. Herc. Fur. vs. 24 sq.

1903. *Mundi citati*. Cælorum, quæ rapido motu se volvunt.

1905. *Cervice*. Herc. Fur. vs. 70.

1908. *Pondere liber spiravit Atlas*. Apud Lucianum in Charonte, 4, Mercurius: Ἀκούεις δὲ ἴσως καὶ τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ πέρι, τοῦ Ἡρακλέους, ὡς διαδέξαιτό ποτε αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν Ἄτλαντα, καὶ ἀναπαύσειε πρὸς ὀλίγον τοῦ ἄχθους, ὑποθεὶς ἑαυτὸν τῷ φορτίῳ.

1912. *Telis*. Sup. v. 6 et sq.

1913. *Pepercit*, dum ipse scelera puniret, tonitru Jovis quiescebat.

1914. *Ignis*. Fulmen tuum. — *Erat*, fuisset.

1918. *Ad quod*. Mortis communem omnibus portum. Plutarchus, Consolat. ad Apollon. c. 55: ἐκείνῳ δὲ τῷ μακαρισθέντι οὐκ ἦν κατὰ φύσιν περαιτέρω τοῦ ἀπονεμηθέντος αὐτῷ χρόνου πρὸς τὸν ἐνθάδε βίον περιμένειν, ἀλλ', εὐτάκτως τοῦτον ἐκπλήσαντα, πρὸς τὴν εἱμαρμένην

An post raptum Styx atra canem
Præclusit iter,
Teque in primo limine Ditis
Fata morantur? quis nunc Umbras,
Nate, tumultus, Manesque tenet?
Fugit abducta navita cymba,
Et Centauris Thessala motis
Ferit attonitos ungula Manes?
Anguesque suos Hydra sub undis
Territa mersit? teque labores,
O nate, timent?
Fallor, fallor, vesana parens;
Nec te Manes Umbræque timent.
Non Argolico rapta leoni
Fulva pellis contecta juba
Lævos operit dura lacertos,
Vallantque feri tempora dentes.
Donum pharetræ cessere tuæ;
Telaque mittet jam dextra minor.
Vadis inermis, nate, per umbras,
Ad quas semper mansurus eris.

ἐπανάγειν πορείαν, καλούσης αὐτῆς... ἤδη πρὸς ἑαυτήν. —Vid. Animadv.

1919. *An post.* An, quod olim Cerberum rapuisti, aditum jam tibi negant, ingredique prohibent?

1922. *Quis nunc.* Te secundum limen jam adveniente.

1924. *Fugit.* Fugitne Charon, monstrorumque timent simulacra, ut quondam? Herc. Fur. 775 et sqq.

1925. *Et Centauris.* Et ungula Centaurorum Thessalorum qui se movent, ferit, terret Manes.

1928. *Labores.* Ea monstra quæ locum habent inter labores tuos.

1932. *Non*, etc. Non enim descendis armatus ut quondam. — *Argolico*, Cleonæo. Sup. v. 1811.

1933. *Fulva pellis.* Vid. Animad.

1934. *Feri dentes.* Rictus leonis galeæ loco gerebat. Herc. F. 797.

1935. *Vallantque feri tempora dentes. Vallare* sæpius adhiberi de capitum tegumentis terrorem incutientibus, docet Wakefield. ad Lucret. IV, v. 591.

1936. *Donum cessere.* A te donatæ, transiverunt ad alium.

1937. *Dextra minor.* Philoctetæ dextra, tua minus valida.

ALCMENA, HERCULES.

HERC. Quid me tenentem regna siderei poli,
Cæloque tandem redditum, planctu jubes
Sentire fatum? parce : nam virtus mihi
In astra, et ipsos fecit ad Superos iter.
ALCM. Unde sonus trepidas aures ferit?
Unde meas inhibet lacrimas fragor?
Agnosco, agnosco; victum est Chaos.
A Styge, nate, redis iterum mihi;
Fractaque non semel est Mors horrida.
Vicisti rursus Noctis loca,
Puppis et infernæ vada tristia.
Pervius est Acheron jam languidus,
Et remeare licet soli tibi;
Nec te Fata tenent post funera.
An tibi præclusit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit sibi?

Act. V, sc. IV. Solatur lugentem matrem Hercules in Deorum collegium translatus; machina autem demissus Hercules, ex editiore loco supra episcenium inducitur.

1940. *Quid me*, etc. Dicit quidem Scaliger, si quod numen introduceretur, fuisse locum extraordinarium, quem Θεολογεῖον nominabant, qualis in Ajace Sophoclis, in Hippolyto Euripidis; et fuisse sublimem sine machina : sed in eodem capite dicit : proxima huic machina alia versatilis, unde nomen Στροφεῖον· cujus opera heroes in Deos transformabantur : ejus usus in Hercul. OEtæo. Sic ille. GRON. — *Tenentem*. Herculem in cælum relatum alii Engonasin, alii Martis stellam putant. FARN.

1941. *Cæloque redditum*. Vel quod Jove satus fuerit; vel ex opinione Platonica, animas, priusquam in corpora demitterentur, in cælo fuisse. — *Planctu*. Viventium planctu nimio manes offendi creditum. « Tu manes ne læde meos et parce solutis crinibus, et teneris Delia parce genis. » Tibull. I, 1, 67.

1946. *Chaos*, infernum et mors.

1950. *Puppis vada;* per quæ cymba Charontis umbras transvehit.

1954. *An tibi præclusit Pluton iter*. Sup. v. 1919.

1955. *Pavidus regni*. Ne regnum illi eriperes, metuens.

Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, quum plurimus
In cælum fureret flammæ metus.
Arsisti certe; verum ultima
Non tenuere tuas umbras loca.
Quid timuere tuî manes, precor?
Umbra quoque est Diti nimis horrida.
HERC. Non me gementis stagna Cocyti tenent,
Non puppis umbras furva transvexit meas.
Jam parce, mater, questibus. Manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tuî
Mortale fuerat, ignis evictus tulit.
Paterna cælo pars data est, flammis tua.

1957. *Impositum silvis*, etc. Vid. Animadv.

1958. *Flammæ metus.* Flamma ardentis rogi metuenda.

1959. *Loca*, inferna, Tartara.

1961. *Quid timuere tuî.* Quam tuî partem timuere manes? An et umbram tuam? Vid. sup. ad 1706.

1963. *Gementis.* Optime: nam Cocyti nomen a κωκύειν, lamentari, ejulare. Horat. II, od. 14, 17.

1965. *Semel*, dum in vivis eram.

1966. *Quidquid.* Anima cælum petiit, corpus in cognata elementa, unde ortum, abiit: putabant autem ἀποθεώσεως illi fautores, oportere terrenum illud omne corpori admixtum comburi, ut immortalis quis fieret.

1967. *Evictus.* Cujus furorem constantia tua domuisti, evicisti.

1968. *Flammis tua.* D. Cyprianus in lib. de Idol. vanitate: « Castor et Pollux alternis moriuntur, ut vivant; Æsculapius, ut in Deum resurgat, fulminatur; Hercules, ut hominem exuat, Œtæis ignibus concrematur. » Quæ verba eadem inveni in Minucii Felicis Octavio. Suspicor unum ab alio accepisse; vel in alterutrius librum inserta a Philoglossariis. Arnobius, lib. IV, ita scribit: « Plutarchus Herculem post comitialis morbi ruinas in cineres dissolutum prodidit. » Quod nonnulli, completo nondum trigesimo ætatis anno, volunt accidisse: et ab hac ejus miseria, natum proverbium: *Ardens tunica.* Manethon autem, Eusebius et D. Isidorus sunt auctores, Herculem anno vitæ LII, quum in morbum pestilentem incidisset, sanitate desperata, ob cruciatus acerbitatem, sese in flammam injecisse. Aristoteles bile atra agitatum violentas sibi manus censet intulisse. Putabant, ut quis immortalis fieret, terrenum omne corpori admixtum, igne prius comburi oportere. Sic Ceres, Fast. IV, 554, volens Triptolemo immortalitatem conferre: « inque

Proinde planctus pone, quos nato paret
Genitrix inerti : luctus in turpes eat.
Virtus in astra tendit, in mortem timor.
Præsens ab astris, mater, Alcides cano :
Pœnas cruentus jam tibi Eurystheus dabit.
Curru superbum vecta transcendes caput.
Me jam decet subire cælestem plagam :
Inferna vici rursus Alcides loca.
ALCM. Mane parumper... cessit; ex oculis abiit;
In astra fertur : fallor, an vultus putat
Vidisse natum? misera mens incredula est.
Es numen; et te mundus æternus tenet.
Credo triumphis : regna Thebarum petam,

foco pueri corpus vivente favilla Obruit, humanum purget ut ignis onus. » Martianus Capella, lib. II de Philologia in cælum transferenda : « Formæ ac substantiæ cœpit formidare corporeæ. Quippe perferendos flammarum cælestium globos, et ignes ardentium siderum mortalibus adhuc artubus, et gracilenta macilitate siccatis, non incassum tremebunda formidat. »

1969. *Paret.* Pararet ignava mater filio inerti. Sup. vs. 1836.

1971. *Virtus.* Fortes virtus sua cælo et immortalitate beat; ignavorum memoriam una cum corpore mors absorbet.

1972. *Cano*, tibi prædico.

1973. *Pœnas cruentus.* Ab Herculis filiis enim et Iolao apud Marathonem postea devictus est : vel ut alii, ejus ab Hyllo interemti caput ad Alcmenam allatum. FARN. — Vide Euripidem Heraclidis; a quo Strab. VIII, p. 579, dissentit. Euripides scribit Eurystheum non in pugna ab Iolao interemtum, sed in pugna captum, vivum Alcmenæ traditum fuisse. Strabo, lib. VIII, p. 579 : Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα ἐπὶ τοὺς Ἡρακλέους παῖδας καὶ Ἰόλαον, βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱστορεῖται πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ· καὶ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα Γαργηττοῖ ταφῆναι, τὴν δὲ κεφαλὴν χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ, ἀποκόψαντος αὐτὴν Ἰολάου περὶ τὴν κρήνην Ἀκαρίαν, ὑπὸ ἁμαξιτόν. Pausanias, in Atticis, simpliciter ab Iolao cæsum testatur, non addens in pugnane, an a pugna id ipsum contigerit. DELR.

1980. *Mundus æt.* id est, cælum.

1981. *Credo triumphis.* Credo, inquit, victoriis tuis et maximis rebus gestis : illæ enim jamdudum cælo te dignum omnibus persuaserunt. Nam ipsa sibi num credere debeat, dubitat. Ita et in Statii Thebaide, XII, v. 77, ad Menœceum parens : « Tu Superum convexa licet, cœtusque perenni (Credo equidem) virtute colas. »

Novumque templis additum numen canam.

CHORUS.

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus : vivite fortes;
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent : sed, quum summas
Exiget horas consumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sed tu, domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator, ades.
Nunc quoque nostras respice terras :
Et, si qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis :
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

1982. *Novumque.* Scribit Pausanias, Eliac. I, se a Thasiis accepisse, Thasi esse Tyrium Herculem, jam initio ab illis cultum; qui quum se Græcis adjunxissent, simul Thebanum Herculem eo honore prosequi, cœperunt. Marathonios tamen affirmare se mortalium primos Herculi divinos honores exhibuisse. Sed Aristides id Atheniensibus adscribit in Panathenaica. In quibusdam Thasiorum nummis argenteis vidi Herculis simulacrum cum clava et leonis exuviis. Delr.

Act. V, sc. v. Herculis ἀποθέωσι adspirat Chorus, novumque numen adorat.

1994. *Tu fulminibus.* Sup. v. 6. — *Trisulcis.* Trisulcum dicitur fulmen, propter ignes trium superiorum siderum ad terram deciduos, quorum summus ex nimio Saturni humore infuscat, ἀπὸ ἀργῆς : imus ex ardore Martis cremat dissipatque, ψολόεις; medius e clara Jovis subtilitate penetrat etiam illæsis operimentis καταιβάτης. Jovi rursus tres datæ sunt Manubiæ; minores, quæ moneant; majores, quæ XII Deorum consilio missæ discutiant : maximæ, quas Jupiter eorumdem nutu jaculatus, accendit, disperdit, imis summa commutans. — Trisulcum fulmen explicare malim, quod feriendo tres veluti sulcos faciat; vel quia ob celeritatem triplex esse videatur; vel quod vis illius sit triplex, afflare, transfigere, incendere : Varr. apud Non. c. 6, n. 2. Virg. Æn. I, 46, et VIII, 426 et sqq.

IMITATIONES GALLICÆ
SUPER HERCULE OETÆO.

LICET plurima exstent super Hercule carmina, paucissimæ tamen ad nos pervenerunt tragœdiæ, in quibus partes præcipuas agat Heros ille et SEMIDEUS, veteribus Lyricis tam sæpe decantatus; nec ullas memoraveris, præter græcam Sophoclis, quæ inscribitur *Trachiniæ*, hancque latinam nostri Senecæ.

Sophocleum drama unanimi laudum concentu approbat, quisquis tragicæ artis excellentiam et recognoscit et admiratur; nihil enim ibi requirendum habeas, seu festinationem ad eventum spectes, seu carminum dignitatem et simplicem nativamque dialogi venustatem.

Quantum autem a tragœdia græca differat hoc opus, fabulave Senecæ, vel primo intuitu facile quis dijudicaverit, deficientibus, ultra quam licet, et aptis sententiis, et habili contextura. Nec mirum est, quod Heinsius Senecæ nomen a titulo voluerit abolere, quum multa insuper occurrant, non modo per ampullas intolerabiles expressa, sed etiam barbare dicta, et a vero sensu detorta. Auctor, quisquis est, Herculis hujus OEtæi nonnulla ex Sophoclis Philoctete et Trachiniis mutuatus est; ea autem tam luxuriosa adulterinorum ornamentorum farragine obruit, ut vix queant agnosci.

Apud recentiores, et e Nostratibus, citandus est ante alios V. C. *Rotrou*, qui in dramate suo, cui titulus est, *Hercule mourant*, imitatione et quasi versione gallica Annæanum Herculem a. 1632 expressit. Nec, quanquam

in pluribus scenis voces reperiantur obsoletæ, desunt versus adeo commendabiles, ut *patrem* suum hunc vocaverit magnus ille CORNELIUS, cui tanquam magistro et duci venerabundus ipse *Rotrou*, et omnes poetæ coætanei ultro semper assurrexere. Ergo habet infra Lector tum præclarissima scriptoris Gallici loca, tum ejusdem dramatis exegesin, spectantem in primis ad notandas utriusque poetæ dissimilitudines.

Nostris temporibus, vir unus Rosciorum Æsoporumque non obscurior discipulus, *C. Lafond*, dum esset fere adolescentulus, exercendæ postea arti scenicæ præluserat scribendo tragœdiam de eodem argumento, ***La mort d'Hercule***, in qua sibi Nessi partes declamandas actor attribuerat. Non est cur longiorem faciamus mentionem de eo opere, quod inter juvenilia, ut aiunt, peccata modestus auctor ipse relegavit; quia laudem multo superiorem alia ex parte sibi comparavit vir ille, cui inter æquævos comœdos contigit, ut nostro Talmæ si non æquus, at certe proximus, nec longiori intervallo, incederet.

Quum autem nonnullæ exstent imitationes gallicæ quæ, licet ad tragœdiæ scenæque modum non accommodatæ, ad Herculem OEtæum spectant, placuit in primis inter eas seligere, tum insignem de Herculis morte locum, ex nostrate FÉNÉLON, scriptore HOMERICO, *Télémaque*, lib. XV; tum poema quoddam recentius, cognitum minus quam cognoscendum, auctore *C. Theveneau*, viro propter popinalis vitæ genus, doctrinas et œstrum vere poeticum singulari, cuique Euclidis et Archimedis scientias tam feliciter quam Apollineas artes fovere contingebat.

HERCULE MOURANT,

TRAGÉDIE DE ROTROU.

Quum non suffecisset fabulæ latinæ simplicitas, auctor gallicus duos, pro uno, amores sibi invicem oppositos in dramate suo inseruit. Scilicet illic, non solum Hercules adamat Iolen, cujus pellicis odio furens eum Dejanira intercipiendum statuit; sed et ipsa Iole, herois amorem fere aspernata, vel præ vanitate solum perpessa (act. I, sc. III), alterius viri, cui nomen Arcas, amorem æquat respondetque curis. Itaque illa jam in eo est, ut, post mortem Herculis, Arcadi nubat; sed vetuit heros moriens; nec nisi ad extremum dramatis finem, ipse descendens ex Olympo, mortalibusque exutis affectibus, invidiam rivali condonat, jubetque ut Iolen sibi uxorem accipiat.

In gallica tragœdia, congreditur non semel Dejanira cum Hercule; quem vividioris patheticæque orationis fontem non tetigit Seneca.

Cætera fere ad verbum redduntur de latina Senecæ tragœdia.

ACTE PREMIER.

SCÈNE PREMIÈRE.

HERCULE.

Puissant moteur des cieux, ferme appui de la terre (1),
Seul être souverain, seul maître du tonnerre,

(1) Vide scenam primam act. prim. integr.

Goûte enfin, roi des dieux, le doux fruit de mes faits,
Qui par tout l'univers t'ont établi la paix.
J'ai d'entre tes sujets la trahison bannie,
J'ai des rois arrogants puni la tyrannie,
Et rendu ton renom si puissant et si beau,
Que le foudre en tes mains n'est plus qu'un vain fardeau.
Des objets de ton bras le mien est l'homicide,
Et tu n'as rien à faire après les faits d'Alcide;
Tu n'as plus à tonner; et le ciel toutefois
M'est encore interdit après tous ces exploits!
Parais-je encore un fils indigne de mon père?
Junon n'a-t-elle pas assouvi sa colère;
N'a-t-elle point assez, par son aversion,
Fait paraîtré ma force et mon extraction?
N'ai-je pas sous mes lois asservi les deux poles?
Et celui dont le ciel charge tant les épaules,
Et sur qui ce fardeau repose pour jamais,
Ne me peut-il porter avec ce rude faix?
Ainsi que mes exploits rends ma gloire parfaite:
La Parque t'a remis le soin de ma défaite;
Et, de quelques efforts qu'elle attaque mes jours,
L'impuissante qu'elle est n'en peut borner le cours.
L'air, la terre, la mer, les infernales rives,
Laissent enfin ma vie et mes forces oisives;
Et, voyant sans effet leurs monstres abattus,
Ces faibles ennemis n'en reproduisent plus.

Père de la clarté, grand astre, ame du monde,
Quels termes n'a franchis ma course vagabonde?
Sur quels bords a-t-on vu tes rayons étalés,
Où ces bras triomphants ne se soient signalés?
J'ai porté la terreur plus loin que ta carrière;
Plus loin qu'où tes rayons ont porté ta lumière:
J'ai forcé des pays que le jour ne voit pas,
Et j'ai vu la nature au-delà de mes pas.
Neptune et ses Tritons ont vu, d'un œil timide,
Promener mes vaisseaux sur leur campagne humide.
L'air tremble comme l'onde au seul bruit de mon nom,

Et n'ose plus servir la haine de Junon :
Mais qu'en vain j'ai purgé le séjour où nous sommes !
Je donne aux immortels la peur que j'ôte aux hommes.
Ces monstres, dont ma main a délivré ces lieux,
Profitent de leur mort et s'emparent des cieux.
Le soleil voit par eux ses maisons occupées;
Sans en être chassés ils les ont usurpées.
Ces vaincus, qui m'ont fait si célèbre aux neveux,
Ont au ciel devant moi la place que j'y veux :
Junon, dont le courroux ne peut encore s'éteindre,
En a peuplé le ciel pour me le faire craindre.
Mais qu'il en soit rempli de l'un à l'autre bout,
Leurs efforts seront vains; ce bras forcera tout.

ACTE II.

SCÈNE PREMIÈRE.

LUSCINDE, *suivante de Déjanire.*

Dieux, que la jalousie en un jeune courage (1),
Alors qu'on aime bien, est une extrême rage !
L'Afrique en ses déserts ne présente à nos yeux
Rien de si redoutable et de si furieux.
Sitôt que ce jeune astre, aux regards de la reine
Exposa sa clarté si belle et si sereine,
73. *Victor e terris.* MS. 8032, *victor ætheris.* MS. 8028, *victor heteris;* sane vitiose, nam quid vox *heteris* significet?

76. *Faceret.* Sic Flor. similiterque Vossianus, *laceret.* MSS. omnes, *faciat.* — *Sparserit.* Heinsius malebat *spargat his;* forsan ut tempora convenirent.

77. *Pejus ac levius.* Alii repetunt *pejus ac pejus.*

78. *Irata.* Ascens. ed. *Jurata.*

80. *Nondum astra merui.* Flor. *Haud astra m.*

82. *Illinc fugabo maria : si jungi jubes, Committat undas*, etc. Distingue cum Gronovio : « Siculus Hesperium latus Tangat Pelorus; una jam tellus erit, Illinc fugabo maria : si jungi jubes, Committat undas, etc. » Duo proponuntur diversa. Jungam, inquit, terras, fugato, quod separat, mari. Claudianus, XXVI, v. 221 :

> Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto,
> Si rerum natura sinat, discedere longe
> Optet, et *Ionium refugo laxare Peloro.*

Vel, si jubes, maria jungam, quæ separat terra. Cf. Med. v. 36, et Lucan. I, v. 100 sqq.

100. *Perfer.* Sic. MSS. et Flor. cum Vossiano. Alii MSS. et libb. cum Commel. dant *Præfer.*

102. *Q. t. tollens ara Cenæi J.* Quis ferat Gronovium defendentem τὸ *ara* codicum. Scripserat Josephus Scaliger : « Quænam *ara* potest attollere templum? an templa sunt in aris? » Quid ad hæc ille? Nempe sic inquit : « *Tolli* et *premere* dicitur, quidquid supra est. *Tollit* igitur *ara templum*, quæ templo tegitur, quæ in templo est. Miror magnos viros hic hærere potuisse. » Et nos rursus te miramur mirantem, Gronovi, neque quidquam ineptius unquam te scripsisse existimamus. Quanto

rectius (de Scaligeri commento *acra* ne dicam) Janus Rutgersius, Var. Lect. II, 6:

> Qua templa tollens *acta* Cenæi Jovis, etc.

Æschylus Κηναίου Διὸς ἀκτὴν dixit, Sophocles ἀκτὴν Εὐβοῗδα, qui et alib. sic in Trachiniis:

> Ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον
> Κήναιόν ἐστιν.

Noster infra 839:

> Nunc puppis illum *litore Euboico* refert.

Prætuli tamen *ora*, quum propterea quod similius est vulgato, tum quia sæpius hoc Trag. utitur, altero ne semel quidem. Both. — Nos τὸ Gronovianum *ara* retinemus.

103. *Austro timend.* Gronov. *Astro timendum;* et addit: « aliorum *Austro*, quod frustra arcent Grut. membranæ, non modo Herbip. et Ven. sed et Flor. et Voss. adserunt. Meus quoque et Heinsianus minor: *Haustro.* Abeant igitur, cum suo Arcturo, qui non Euboicum modo, sed omne mare reddit timendum, etc. » MSS. omnes, *Astro.*

108. *Posuit fluminis ultimi.* Scripti quidam codd. *luminis;* quod ait Gruterus, videre se contextui inseruisse quosdam, sed non etiam causam quare inseruerint. Nos tamen etiam in compluribus id reperimus, ut in quibusdam *liminis.*

112. *Illum si medio.... speret in æquore.* Hæc lectio non in eo tantum reprehendenda est, quod τὸ *quum* ineleganter repetitur, sed falsam etiam sententiam habet, si quidem expulsus Zephyrus non amplius scilicet dividit cum Euro mare, sed hic solus tum regnat. Quinam igitur venti dicuntur dividere mare, et quo sensu? Interpres: « Victores, inquit, venti Eurus et Africus mare scindunt, ejusque sibi dominium vindicant. » De voce *dividunt* cavit, ne in alterutram partem peccaret: utraque enim potestate, quæ locum habere potest, simul usurpatam censet, quod ineptum. Sed omnino falsus est, ut qui sic interpretetur, quasi non *Aut*, sed scriptum sit a Seneca *Atque Eurus.* Quid multa? nonnihil affectus est locus, legendumque procul dubio *qui mare dividunt*, ut omnes isti intelligantur venti quatuor, quos nominavit: nam hi præcipui et poetis fere usitati, ut monet Gronovius, ad Hipp. 1129. Vel *quimare* pro *quūmare* habuere librarii, ut *cui* pro *cum*, Oct. 497, vel *cui* forte pro *qui* scriptum, quum sequens in se agglutinasset, in *quum* mutatum est; qua de re vid. J. Gulielmius et interpretes ad Plauti Cas. 449. Hoc unum. Sed haud melius est, quod item legitur h. l. in vulgatis libris:

> Non puppis laceræ fragmina colligit,
> Ut litus medio speret in æquore.

Qui homo disjectæ navis suæ fragmenta colligit, non propterea id facit

scilicet, ut litus sperare possit mediis in fluctibus; quod ut inveniat, situs terrarum circum jacentium noscendus ei est, sed coagmentare cupit fractas tabulas, ne hauriatur. Bonum itaque *sperat*, quod præbet liber Moguntinensis apud Delrium; deinde reponendum *Aut litus*. Periit versus initialis litera, ut sæpe factum deprehenditur in MSS. « Scitur enim, inquit Gruterus, versuum primam literam haud etiam adponi solitam a scribis, dum miniatam cupiunt: itaque parum docti unam pro altera collocarunt. » Both.

123. *Stamus; nunc patriæ messibus heu locus Et silvis dabitur.* Sic libri veteres, *Et silvis*. *At* a Scaligero est. Scriptorum nonnulli, item Fern. Cai. *nec* pro *nunc*, quorum vocabulorum similia in membranis compendia; Florentinus autem, id quod rei caput est: *patriis messibus*; denique Dan. Heinsius: *Patriæ mœnibus heic* locus; qui et *nunc* probavit. Hinc concinnata a nobis verba Tragici hoc sensu: Miseros fugis, Mors: nam nos superstistes adhuc sumus (*stamus*) miserrimæ, et quas satius fuit cecidisse simul cum urbe nostra. Both.

127. *Œchaliæ*. MSS. 8030, 8032, 8035, etc. *Etholiæ*.

133. *Steriles focos*. Dant fere omnes. MSS. *steriles locos*.

140. *Qua fugit*. Sic Flor. Non *fluit*, ut vulgo. Recte Gron. « Nimirum non meminerant *fugere* esse Senecæ, quocumque motu labi, decurrere, ire, ut *fuga* pro itione; quemadmodum superius notavimus ad Thyest. 629. »

144. *Nùm Tit. ferum*. Sic Lugd. edit. comprobante Raphel. — Pal. fere omnes, *Non T. f.*

145. *Caspias*. Gronov. et Comm. *Caspia*. MSS. fere omnes, *Casseta*; solus 8032 dat, *Cassetha*.

150. *Et solem vetuit*. MSS. omnes fere, *et soles vetuit*. MS. 8026, *et soles metuit*.

151. *N. v. pervia membra sunt*. Palat. omnes *monstra*. Lipsii MSS. *membra*, quod jam editiones posteriores habent. Non sic tamen illa Gruteri, qui veritus est fidem habere unico testi, quum suus sit utcumque sensus scripturæ receptæ: nam ut placet scholiastæ veteri, vult versus iste Herculem esse monstrum, quod vel Athos, vel Rhodope protulerit: idque eo probat, quod, ut monstra nullis sunt vulneribus pervia, sic ne ipse sit.

165. *Pro fato patuit*. Gronovio non assentitur Both. reponenti *patuit*, quod habent libri nonnulli, in his Mog. et Cai. (Et Nos. Ed.) Et idem: « Interdum *patere*, idem quod valere et esse fateor, sed in re cui nihil insit ambigui; quemadmodum *satis patentes divitias* pro satis magnas Noster De tranquill. cap. 9, et similia passim alii dixerunt. Sed *patere* vultum alicujus dici, et quidem pro fato, quis ferat? quis tale quid audiens, risum teneat? Libri tantum non omnes: *Pro fato potuit*, id est, potuit quantum fatum; valuit instar fati; quæ τοῦ *posse* significatio tam trita, quam quod tritissimum. Eam igitur lectionem servemus; idque eo magis, quod statim, vs. 171, sequitur *Commoda cladibus Magnis magna patent.* »

167. *Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges.* Ita Ascens. et Flor. incondita quidem oratione, et sex continuis verbis sibilo terminatis; quod valde invenustum. Nec meliora, quæ habet Flor. in sequentibus, hæc: *Thessalicum stitit aggerem cæloque*, nisi quod minus placet vulgatum *Thessalicos aggeres*, quia, ut ait Gronov. e cespitibus constat agger, Gigantibus autem pro cespitibus montes erant, e quibus non aggeres, sed aggerem ingentem unum constipavere, e quo in cælum ascenderent. Hoc igitur inde arcessivi; ceterum servavi reliquorum librorum lectionem *Qui vastus Briareus, qui*, etc. Cujus lectionis, modo recte distinctæ, optima est sententia. Both.

174. *Collapsa Deis.* Heinsius malebat *illapsa.* Sed *collapsa Deis templa* quid sint, vide in Notis.

180. *Mea fata jubent.* Præfert Raph. *me fata jubent.* Et sic interpretatur: Graviora passa sum, gravius etiam mihi lugendum.

182. *Deflere juvat: n. pl. dedit.* Haud dubie, observat Gronov. ad h. l. aliquid deest, ut visum Dan. Heinsio. Dignissima vero summi illius viri ingenio, dignissima Senecæ interpositio, quam facit, modo ita castigetur: « Deflere juvat. Cur non oculos Plures nobis, nec plura dedit Pectora Tellus, ut digna sonent verbera fatis. » Rogat, cur non dederit Tellus, quippe omnium mater. At contra non nemo: nil tanti est: quorsum enim oculi ad planctum? at, o bone, non oculi ad planctum respiciunt, sed ad τὸ *Deflere.* Verba hæc fuisse auctoris quis juret? sensus certe fuerunt. Posuimus etiam, *Verbera fatis*, non, ut vulgo, *verbera planctu:* quia sic Florent. et ipsa *verbera* pro planctu dixit: ut digne plangam mea fata.

184. *Sipyli.* Pauciores *Sipylum*, quod videtur Botheo lectius.

185. *Fleb. saxum fingite, Superi.* Lipsius e MS. *fingite.* Eo putat Delrius confirmari veterem suspicionem suam *figite.* Non carpo, inquit Gruterus, sed sic nullus Palat. at Flor. quoque, *fingite;* idque sine ulla suspicione recipiendum, ait Gron.

188. *Silva sororum.* MSS. fere omnes, *turba sororum.*

189. *Addite.* MSS. 8032, 8033, *abdite.* — *Gemam.* Sic Nos, contra vulgatt. *gemit*, cum Florent. Et vividior est lectio, per quam suas sibi partes ipsa attribuit Iole. Vid. Not.

190. *Edonas.* MSS. omnes et Pall. *Edonias.*

192. *Daulias.* MSS. *Daunias.* — *Solet Ismaria.* MSS. 8028, *solvet Is.*

195. *Cypria lacrimas.* Omnes lib. vulg. *Cyprias lacrymas.*

204. *Querulo Murmure casus.* Gronov. *q. Murm. questus*, et addit: « Lips. e MS. *murmure casus:* dein, *fama loquetur.* Prius non tanti fuit amico ejus, ut commemoraret. Immo tanquam ultro defendens vulgatum, τοῖς *querulo questus* ait ludere vocabulo. Non adeo jejunus erat puerilium figurarum Seneca. Posterius recepit duorum suorum auctoritate. Gruterus utrumque melius fatetur, si adsentirentur modo MSS. codices. Satis est codicem, puta Flor. »

206. *Fama loquetur.* Plerique MSS. et codd. *turba loq.*

214. *Necdum forti sang. Toxeu.* Alii, « nondum fortis s. T. » Alii, « necd. fortis s. Tox. » Solus 8036, « necd. fortis sang. Theseu. »

216. *Querar.* Rectius *queror*, ait Both.

219. *Proh, sæve decor.* Quidam MSS. « proh ! sæpe dolor » ; sine sensu. Alii, « proh ! sæve dolor. »

227. *Fugiat vultus fort. p.* Heinsius malebat *cultus.* At frustra : nam infra, v. 360, ejusdem Ioles « nudus auro crinis et gemma jacere » dicitur, contra quam adfirmat Ovid. Heroid. IX, v. 125 : « Nec venit incultis, captarum more, capillis. » Bad.

228 sqq. *Felix, quisquis n. f.* Sic Flor. ut in Mog. Delrius, in uno suorum Grut. invenère. Male Scaliger, vs. 232 : « pertulit æquo. » — Præstans liber Mog. hunc locum ita ordinatum præbet :

> Felix quisquis novit famulum
> Regemque pati, vultusque suos
> Variare potest.
> Patiens quisquis novit famulum
> Regemque pati; pepulit vires
> Pondusque mali, casus animo qui tulit æquo.

Habet igitur non minus quam Pall. aliique libri ista *Patiens quisquis*, et habet post, altera, quæ nunc vulgantur, ut minus rectis addere emendatiora solent librarii; id quod observavi, ad Hercul. Fur. v. 1343. Jam, si Flor. et ille Gruteri codex omittunt verba *Patiens*, etc. et rursus vett. edd. in his Fern. Herbipol. Veneti et Ascens. quibus similis scriptorum auctoritas, publicatis istis carent, quis tantas lites componet ? Ratio. Dolore percita, vixque suî compos, mutari in avem Iole optaverat, supra 200, felicemque futuram se dixerat, si corpus humanum exuisset. Eam doloris intemperantiam compescens Chorus :

> Sapiens, inquit, quisquis novit famulum
> Regemque pati, etc.

Nam *Sapiens* legendum vidit Dan. Heinsius, neque παραφραστέον eum monacho : « quicumque æquo fert animo, se ex regni culmine in servitutem decidisse, et vultum fortunæ scit adaptare. » Id est : « *Patiens* est, quisquis *patitur*, etc. » Quo quid fingi putidius potest ? Facilis profecto sagacissimi Heinsii emendatio, sententia aptissima, denique vox ea, quam præ altera illa placuisse tragico credibile sit, propterea, quod majorem quam ista vim habet : nam secundum Stoicos, qui sapiens est, idem et felix; non contra. Ceterum pro *capienc* (id est, *sapiens*) forte exaratum puto, literis inter se permutatis, *paciens* (nam sic fere libri vett. non *patiens*), quemadmodum *geret* pro *reget*, *tellum* pro *letum*, et similia non raro inveniuntur in codd. vetustis. Quod quidam libri omittunt verba « vultusque suos variare potest, » non magis audiendi sunt quam Ascensius ejusque hac ex parte imitatores, qui ditare sibi videntur scilicet poetam, legendo : « Pondusque mali (vel *male*), *nec servit inops*, Casus, etc. » quem ineptissimum pannum unde habent, eo red-

dant suadeo corruptores. Dedi autem « Vult. potest var. suos, » elegantiore ordine verborum, qui ordo mutatus sæpe est a descriptoribus, velut hoc ipso loco in Palatt. et veteribus edd. quum ab Aldi discesseris, habetur *pepulit vires*, in vulgatis autem *vires pepulit;* a quibus utrisque dissentiens Flor. « Rapuit vires pondusque mali, » quod lectius vulgato, et recipiendum in ordinem, nisi quod pro *mali* legendum est *malis*, vel *malo* cum Gronovio. Both.

239. *Purisve clarum.* Ita Flor. et Lips. quum vulgo legatur, « Purumve claris noctibus sidus micat », tribus verbis continuis *s* litera finitis.

241. *Feta ut Armenia j.* Sic Flor. et non *armento* vel *armenta*, ut MSS. et libri quidam præbent.

260. *Ignara vinci.* MSS. 8262, 8026, *ignota vinci.* — *Si quid excessit feras.* MS. 8032, *si quid timet feras.*

262. *H. sinu imm. ex.* MSS. et interpretes, « hoc specu imm. » male. Nam *sinu* est necessarium propter vs. 268 : « Quid excutis telluris extremæ sinus. »

264. *Converte in aliquid.* MSS. Pall. « converte in aliquod. »

270. *Quas timuit : o. acc. hoc telum tuis.* Plerique MSS. « quas timeat : o. a. h. t. t. » MS. 8032, « q. timet : o. a. h. t. t. » MS. 8026, « q. timeat : o. accipe Herculem tuis. »

272. *Profer manus quocumque.* Ad h. l. silent interpretes, nisi quod Gron. monet, Florentinum et omnes fere quos viderit (quibus adde plerosque Pall. et veteres edd.), habere *perfer*, unde Nic. Heinsius fecerit *Fer, fer manus quocumque.* Nam Ascensius ita hæc interpretatus : « *Profer* aut *perfer*, i. e. ad finem usque extende manum, scil. tuam, quocumque, i. e. quacumque parte potes, » fecisset melius, si tacuisset. Corruptus, si quis alius, locus est, et legendum, nisi me omnia fallant : « Perdere Alcidem potes : Profer minus quodcumque. » Perdere Herculem jubetur dea, et quidquid jam agere decreverit minus isto facinore tam arduo et glorioso, proferre, id est, differre in aliud tempus. *A* et *i* literas permixtas nonnumquam turbare in codd. quum alibi monui, tum in Vindiciis Ovid. ad Met. XII, 481. Both.

273. *Q. jubes fieri nefas?* Raphel. « fiat nefas Reperi. » MSS. et Paris. *fieri.* Lubeat distinguere, ait Grut. « quod jubes fiat (vel *fieri*,) nefas? ac inde tanquam ad se conversa : *Reperi*, etc. »

280. *Num flamma c.* etc. Delrius conjecit : « ut flamma c. p. et t. ferant, Ut Ursa. » Gruterus, quum omnes MSS. *num flamma*, non frustra censet se suspicari, *Tum flamma.* Scaliger, « non : flamma pariter : » quod jam sequuti sunt. Fuit et vir doctus cui placeret : « non : flamma pariter ut torrens : » quemadmodum Plauto, « filium pariter moratum ut pater. » Sed Seneca non dicit futurum, ut ignis instar torrentis fluat : id fieri quandoque testis Vesuvius : sed ut conjunctim eant : quod fieri nullo modo potest. Recte omnino scripti : *num flamma.* Vide in not. quemadmodum hæc Gronov. explicet.

284. *Est aliq. hydra potius.* Bene qui *pejus* reponunt, ait Raphel. ut

Cantabr. et Cruzerian. Sed an hoc anteponendum τῷ *potius* (quod Ortel. Paris. Fabric. repræsentant) judicent alii.

286. *Quidq. est victum tibi.* Frustra blanditur Grutero: « quidquid invictum tibi; » etsi Scalig. quoque hoc melius pronuntiaverit. Nihil enim adhuc invictum Herculi.

290. *Summe proh rector Deûm.* MSS. omnes cum Commel. *summe protector Deum.*

291 seqq. *Herculis*, etc. Hæc ita legit et distinguit Cruzerianus:

> .... Herculis tantum fui
> Conjux timentis: vota quæ Superis tulit
> Cessere captæ pellici; felix fui
> Illi; meas audistis, etc.

293. *Pellici.* MSS. quidam, *pellicis.*

295. *Incolumis.* MS. 8024, *incolis.*

299. *Pro me gerebas.* MS. 8035, *pro me gerebat.*

303. *In hoste.* MS. 8035, *in hostem.*

305. *Non præferetur.* Hic audi Botheum: « Modo dixit, prælatam esse pellicem; nec sane prohibere mulier potuit, quominus alia sibi præferretur, sed ulcisci Herculem potuit. Et id se velle significat: ergo legendum haud dubie est, *Non perferetur*, id est, Non patiar. Sæpe mixta in scriptis similia harum præpositionum compendia. »

308. *Jam cessit ira.* Monet Anglus, Anonym. Obss. Misc. I, p. 77, molesta esse *recedit* et *cessit* in duobus versibus continuis, ideoque legit: *cecidit ira.* Sed mitiore mutatione scribi posse putat, *jam cessat ira:* accedit annotator Batavus. A quibus utrisque dissentiens doctissimus Wüstemannus in schedis quas penes me habeo, minime inepte legendum censet: *resedit* animus, quomodo Cicero dixit: « Marcelli impetus resederunt. » Horat. Od. III, 3, 30, « bellum resedit. » Botн.

309. *Conjugis tacitæ fid.* MSS. omnes « conjugis sanctæ fid. »

312. *Non erit votis.* « Sic vulgati libri. Immo præferendum *erat*, ut alii, in his vett. edd. præter Aldi. Piget mulierem in auxilium vocatæ Junonis, quum ipsa jam parem se sentiat Herculi. « Aderit, inquit, noverca (id est, novercalis et Junone dignus animus, suum autem intelligit) etiam non vocata. » Botн.

317. *Erect. terras fama suppositas h.* MSS. 8035, 8032, « er. terras flamma supp. habet. » MS. 8036, « er. terras flamma supposita h. »

318. *Terra consurget parens.* Florentinus: « Angor in istos terra consurget lares. » Mendose. Euripides certe μητέρα χθόνα dixit Helen. v. 40, et Chrysip. VII.

320. *St. omne; saxa jamdudum et faces.* MSS. quidam, « St. omne, nam tuum gens Herculem. » Alii, « St. o. nam tuum genus Herculem. » V. seq. abest in omnibus.

322. *Defendet.* MSS. omnes, *defendit.*

333. *Noct. d. d. Vid. notabit.* Sic plerique Pal. Vix unus et alter *vo-*

cabit; quod tamen recentioribus ita placuit, inquit Gruterus, ut retulerint in contextum : at mihi omnino frigidum est : scio quidem diem *non tacere* : sed *vocare* non puto, nisi figura admodum longinqua.

336. *Nascetur. Indos ante glacialis polus.* MSS. omnes dant, « Nascetur Indis : ante glacialem polum. »

337. *Inficiet.* Plerique libb. et MS. *afficiet.*

339. *Meo jugales sanguine.* Fere omnes MSS. *meo jugali s.* MS. 8064, « meo jugali semine. »

344. *Herculis nuptam libet.* Dant aliquot MSS. « Herculi junctam libet; » alii, « H. junctam licet. » Quas lectiones valde comprobat Lips. Cæteri, « H. vinctam libet. »

346. *Evellam ;* MSS. *avellam.*

352. *Quid cassum times.* Grut. *q. casum times?* et addit, « conjecit Lipsius *cassum* adverbiale : et quum ita repererit in binis codd. Delrius, cedat ei sane alterum, licet fultum Pall. omnibus, idque capientibus de statu Dejaniræ. »

356. *Multumque.* Flor. *Vulcumque*, unde Gron. « Vultumque anilem traxit, etc. » Potuitne pejus in adolescentula? Faciunt huc, quæ ad Phœn. 182, Dan. Heinsius, ubi parum curatam rem metricam exprobrans J. Lipsio : « Sane, inquit, eximius vir iste beneficio optimi libri plurima in auctore hoc felicissime emendavit. Sed quæ domo adfert, sæpe aliud agenti excidisse non dubitamus. Malevoli sit hominis secus putare. Neque aliter de magnis viris loquendum. Quæ quum obiter monemus, malevolis præripiamus, ne triumphum propter nævos hominum magnorum ducant, quum virtutes eorum sensu assequi non possint. » Both.

361. *Forsan.* MS. 8032, *forsitan.*

363. *Dilecta Priami.* MSS. omnes, *dilecta Priamo.*

364. *Concessa famulo est.* Sic Commel. et Grut. At MSS. omnes, *concessa famula est ;* huic lectioni adsentiunt Pontanus, Cantab. et Cruserianus. Nam, ait Pontan. germanum liquet esse ex eo quod præcedit : « in famulæ locum regina cecidit. » Sed recte Gruterus monet, eum, cujus auspiciis aliquid geratur, omnes administros non absurde vocare *famulos*, quamvis alioquin pares, immo superiores; et opportune laudat illud Valerii Flacci de Argonautis Jasoni auscultantibus : « tacitique sedent ad jussa *ministri.* »

369. *Nempe Thespiades vacant.* MSS. 8035, « nec me Thesp. vocant. » 8026, « nempe me Thespides vocant. » Gronov. cum plerisque MSS. « mene Thesp. vocant? Breviq*ue* in illas. » Delrius encliticam addidisse censet qui cuperent hiatum vitare : sed illam menti loquentis maculam aspergere : eoque delendam. Cui negat Gruterus obtemperare : nam *que* hic valere etiam, et cujusvis esse momenti. Ignoscendum est ambobus, addit Gronovius : non enim didicerant e Florentino, auctorem scripsisse « nempe Thespiades vacant, Brevique in illas. » Vellet Nic. Heinsius, *in*

illis, ut apud Ovid. Met. VII, 21 : « quid in hospite, regia virgo, Ureris ; » et Met. VIII, 50 : « merito deus arsit in illa. »

372. *Et amore captus*. Heinsius *meroque*. Si ita vellet auctor, *victus*, non *captus* dicendum fuit.

373. *Udum feroci*, etc. Restituit *udum* Guilielmus Canterus, Var. Lect. II, 22, quum antea in omnibus MSS. et edd. legeretur *unum*. Incertus auctor elegiæ in obitum Mæcenatis, v. 74 : « ... torsisti pollice fusos, *Lenisti morsu* levia fila parum. »

380. *Ut alta s. form. ver. habet*. Sic Flor. non *alit* ut vulgo legitur. Dictum per hypallagen pro eo quod est « ut silvæ vernantes habent formam *altam*, » id est, conspicuam, ut in Agam. vs. 95 : « Telluris *altum* remeat Argolicæ decus. »

382. *At quum s. expulit*. Edd. vett. et Pal. quinque *extulit*. In aliquot edit. perperam supposuerunt literam, et *At* mutarunt in *Aut*. Neque enim id toleret filum orationis, non si omnes admittamus figuras. Grut.

384. *Deforme solis aspicis truncis nemus*. Gronovius refert in vetustioribus legi, se non probante, « *Deforme foliis aspicis tr. n.* » et addit : « Lipsius monuit e MSS. legendum, *solis truncis*. Vide quam gratos hic amicos expertus sit, illius quidem nulla memoria : Herbip. et Venet. et Lugd. nominare malunt : hos dedisse *solis* : primos Basileenses *folia*, sed, aiunt, non Sibyllæ. Putes igitur probare *solis*. At explicatio repugnat : nudum nemus significari vacuum foliis ; neque enim tantum esse brumæ rigorem, ut ramos etiam cunctos dejiciat : comas tantum decidisse : et comas *folia sola* ; itaque legendum aliquando se judicasse : « foliis aspicis truncum : » verum quare ad conjecturas, quum æque bona quæ exstent ? Hæc omnia, ne quid debeant amico. Et tamen in contextu fecerunt *solis*. Et sic quoque Florentinus. Neque tam acerbos se lectores habiturum speravit auctor, ut parvulam hyperbolen ei non condonarent, et *solos truncos* præcise interpretarentur truncos sine ullo ramo. Quid Lucanus, quum ait Phars. I, 140 : « trunco non frondibus efficit umbram », an intellexit nullum annosæ illi quercui ramum superesse ?

389. *Materque multum rapuit*. Quia sequitur *eripuit*, hic quoque, concinnitatis gratia, legendum censet Both. « materque multum *eripuit*. »

392. *Cessere cultus penitus*. Rectissime Dan. Heinsius : « familiare mendum est, quod obrepsit (vulgatum *vultus*). Scripserat enim auctor : *cessere cultus penitus*. Nam hoc vult, deesse quidem cultum Iolæ, ut captivæ ; formam tamen etiam sine isto eminere. » Both.

399. *Quæve mens quidquam deos*. Crux interpretum, quorum commentis hæc addere libet Jacobi Gron. in schedis Dietz. « MS. Flor. : *quæque mens quidquam deos Orabat ullos*. Unde exsurgit : *Quando mens q. deos O. u.* ? Femina superba errorem et culpam neglecti numinis pro virtute ac laude habet. Infra 1843 : « Nihil ego a Superis petii Incolume nato » ait Alcmene. Thyest. 888 : « *Dimitto Superos*. » Conf. Herc. Fur. 519. *Mens* pro *Mens mea*. Thyest. 957 ; Herc. Fur. 651, 1145 ; Hipp. 179. »

Ita vir doctissimus. Sed hæc sententia neque superioribus neque sequentibus satis convenit. Codex Lips. : « quove (vel *queve*) mens quidquam deos. » Flor. : « quæve (vel *quæque* secundum Jacobum Gron.) mens quidquam deos. » Hinc conjectandum. Et statim quidem apparet, alienum esse istud *mens*. Plauti, Truc. 815, MSS. « Video eccum, qui *manstutorem*, etc. » Vett. edd. v. e. qui *meis tut*. etc. » ubi legendum vidimus « *qui amans* tutorem, » ut ibid. 788, *si aquam* pro vulgato *si quam*, quemadmodum mutila nonnunquam vel a fronte, vel in fine vocabula deprehendi monet Gron. infra ad 1180. Ex quibus ita corrigam hunc locum :

> .... Quumque amans quidquam deos
> Orabat ullos nuribus Argolicis : fui
> Mensura voti.

Sententia præclara : nam et ipsas virgines Argivas sibi optasse dicit thalamos Dejaniræ, et quum amans, i. e. amicus, ipsis quidquam optaverit a diis ullis, eamdem Dejaniram fuisse mensuram voti. Simillimæ in multis codd. literæ *a* et *u*. Hinc e τῷ *quuque* cito factum *quaque*, mox *quæque* vel *quæve;* truncatum autem *mans* sedulo mutatum est, ut sensu cassum. Sic libri olim depravati. *Mensura voti*, ut *mensura timoris* apud Lucanum, III, 100. Both.

405. *Toro caruisse regnantis*. MSS. omnes, *toros meruisse reg.* Lips. « toris caruisse regnantem. » Hanc lectionem fovet Lipsius, nisi quod legit *regnante*.

410. *Hunc, quem per urbes*. Sic Vossian. et alii scripti. Alii *hic, quem p. u.* In optimo Gronovii cod. hic 33 v. deerant.

411. *Et viva tergo spolia*. Hic nihili sunt *viva spolia*, nec placet Gronovii *victa* per hypallagen, qua figura non est abutendum. Puto equidem *vulva* forte exaratum pro *fulva*, qui leonum color est, ita degenerasse. Sæpe enim confusæ *f*, *v* et *b* literæ, ut in vulgus notum. Both.

415. *Orbe consepto*. Mihi quoque, inquit Gron. hoc non nauci videtur, et legendum aut *consumpto*, quod placuit summo viro, aut *confecto;* h. e. in ultima parte orbis terrarum.

418. *Magnus Argolicas eat*. MSS. 8033, 8032, *vagus Arg. eat*.

419. *Quod amet*. Omnes MSS. *quod amat*.

422. *Cecidit Œchalia inclyta*. MS. 8028, *c. Etholia inc.*

427. *Furit*. MSS. quidam, *ferit;* alii, *fecit*.

440. *Q. nec nov. potuit, h. perimes v.* MSS. cum Commel. « q. nec nov. peremit, h. perimes v. » haud invenusta lectio.

445. *Culpa par odium*, etc. Vulgo legitur : « culpa par odium exigit. » Sed quo tandem modo culpa dicitur odium exigere? Corruptus locus. Atqui Flor. : « culpa propius exigat. » *Exigat* etiam vett. edd. Repone : « Major admisso tuus, Alumna, dolor est; *culpa prope jus. Exigat.* » Prope jus esse dicit culpam Herculis, id est, juri vicinam, et contractam

in re, quam exigere ille possit, utpote more ac consuetudine, quæ juri proxima sunt, receptam. Both.

447. *Leve esse credis p. nupt. m.* Etsi vulgat. servent codices, legendum putat Gronovius « leve esse cr. pellicem n. m. » Similem locum se restituisse ex MSS. in Epist.

458-462. *Discussi fores.... et noctem dies.* Quænam est confusio temporum verbalium « stetistis, loquuntur, sonuit, servit, vidit? » insanierit necesse est Seneca, si ita scripsit. Sed non est ita, sed depravata hæc sunt, nec ordine suo posita; quæ sic mihi videntur legenda esse:

> Discussi inferas
> Umbras, et estis, ut mea jussi prece,
> Manes, loquuti; sonuit infernus canis;
> Nox media solem vidit, et noctem dies.
> Mare, terra, cælum et Tartarus servit mihi,
> Nihilque leges ad meos cantus tenent:
> Flectemus illum; carmina invenient iter.

Fores Tænareas hic infra, vs. 1771; et similia quum ipse, tum alii dixere; *fores* pro iisdem nemo absolute dixit, nec potuit, si intelligi se vellet. Huc accedit importuna *Umbrarum* compellatio, ubi statim inferuntur *Manes*, quorum alterutrum posuisse satis erat. Dedi igitur, facili mutatione; « Discussi inferas umbras, » quæ descriptio est caliginosi regni Inferorum. Herc. Fur. vs. 1338 sq. « redde me infernis, precor, Umbris reductum. » Infra 1983:

> Nunquam *Stygias* fertur *ad umbras*
> Inclyta virtus.

Herc. Fur. 50:

> Vidi ipsa, vidi, *nocte discussa inferum*,
> Et Dite domito, spolia jactantem patri
> Fraterna.

Etiam reliquæ, a me factæ, mutationes minime violentæ; neque novum, *et* pro *ut*, et contra, scriptum offendere in codd. Sed hæc persequi putidum. Dicamus potius cum Horatio, Epist. I, VI, in fine:

> si quid novisti rectius istis,
> Candidus imperti: si non, his utere mecum. Both.

462. *Et noctem d.* MS. 8029., *et nocte dies.*

463. *Ad meos cantus tenent.* Gronov. « ad meos cant. tenet. » Hanc lectionem firmant Grut. et Scalig. sed MSS. et libri olim edit. *tenent.*

467. *Cui cedet ille?* « Pall. Delriani et quidquid est editionum veterum dant *cedat* præter Aldi, qui nescio quo prolubio obtrusit *cedet*, quod solœcum in re, cujus eventus incertus est. Neque hunc sequuti Delrius, Gruterus, Scriverius; sequutus est Gronovius; quod mireris, nisi for-

tasse aberrarunt ejus operæ : nam nihil monet. » Both. — Nos Badenio, tantæ indignationis securi, assentimus.

470. *Stet deprehensum fulmen.* Olim legebatur : *sit deprehensum.* Monuit Lipsius e manuscripto legendum *stet.* Ergo amicus ejus: Recte corrigunt, *stet*, et huic mox opponitur *fugerit:* quare non movendum loco. Flor. tamen contempto illo antitheto confirmat Lipsianum, eique accedit Heinsianus major. Gronov.

471. *Medius, coactis ferveat st. d.* MSS. 8033, 8261, etc. « Media coactis fugerit st. d. »

472. *Non flectet unum.* Quidam præbent MSS. « non flectet illum; » alii, « non flectet virum. » — *Vicit.* 8030, 8032, *vincit.*

478. *Petis?* Ita Flor. approbante Gronov. Vulgo *jubes.*

479. *N. tela s. non arma, non ignis minax.* Variant mire codd. et MSS. Quidam, « non ignis, non minæ; » alii tantum, « non ignis, minæ » scribunt. MS. 8260, « non tela s. non ignis, non arma, *non minæ.* »

485. *Est in rem. reg. s. loco.* Olim, *est in remoto sedis egregiæ loco.* Hunc loc. ut præbemus restituit Lips.

490. *Latet.* Sic vett. edd. Lipsius, *manet.*

493 sq. *Qua trepidus astris inserit Pindus caput.* Hic Botheus : Lipsian. et Flor. « Qua *trepidus* astris. » An fuit *intrepidus?* vel *tepidus?* Plures legunt *celsus*, pro recepta lectione *trepidus.* — Sequente versu Flor. non *riget*, ut vulgo, sed *rubet*, ut observat Jac. Gron. in schedis Dietz. « Rubet a sole, inquit vir doctus, ubi non amplius sunt cæli frigora. »

496. *Ach. omnes facilis.* MS. 8028 dat *Ach. omnes felicis.* MS. 8024, *Ach. omnis faciles.*

498. *Turpe.* Plerique MSS. *turpis.*

499. *Dum victor.* MSS. 8032, 8033, *quum victor.*

502. *J. pæne summis turbidus silvis erat.* Quum *silvis* pro *ripis* præbuisset Flor. servata tamen ceterorum librorum lectione *Jam pæne*, rectissime Gron. reposuit *Par pæne s. t. silvis erat*, quibus illa comparat Ovidii de Peneo, Met. I, 572 : « summisque adspergine silvis influit. » (Et hic quidem Nos : *summas silvas...impluit.* Ed.)

512 sq. *Prohibetur undis.* Monachus Lovaniensis: « Scilicet, inquit, Hercules. Sunt autem hæc verba Nessi. » At Gruterus : « Immo Nessus prohibetur undis fieri conjux Dejaniræ. » Sed quomodo undis, qui totus jam iis exiisset? nam de inundatis campis adjacentibus, nugæ. Nec tamen melior alterius ratio : nam Herculem dici, unde intelligamus? Quid multa? Etiam hic locus corruptus est, ut alii hujus tragœdiæ non pauci, legendumque, ut opinor : « Prohibetur *ulnis*, i. e. brachiis vel manibus Dejaniræ oppositis. » Horat. Epod. III, 21 :

> Manum puella suavio opponat tuo.

In proximis, verba *complexus ferens* parum placent quum propterea quod τὸ *ferens* salva sententia abesse potest, tum maxime, quod præcesserunt : « in pontum *ferens*, » vs. 501, et « dorso *ferens*, » vs. 504; nisi hoc

quidem loco legendum sit *gerens*, quæ vocabula sæpe confunduntur. Tentabam itaque *ferus*, id est, immanis et a bonis moribus abhorrens, ut qui sic fallat depositum. Vel *ferum gressum*, i. e. gressum feri sive equi, qualis gressus Centaurorum. Ovid. Met. XII, 211 : « Nubigenasque *feros*, » et Met. XII, 450 : « *quadrupedantis* Oëcli. » Bотн. — *Complexus*. MSS. *complexam* ; alii *compressam* et *amplexam*.

516. *Consequar t. fug.* MSS. omnes fere, *consequitur t. f.* Solus 8032, *et sequitur t. f.*

520. *Tabum fluentem vulneris*. Præbent, nullo excepto, omnes MSS. « tabem fluentis vulneris, » sat probe.

521. *Ungulæ insertum suæ*. Omnes MSS. et libb. « ungula insertam sua. » Melius esset, ait Lipsius, legendum, « ungulæ insectam suæ. » Nos vulg. servamus.

525. *Docuit nurus*. MSS. nostri et vett. edd. *monuit murus*. MS. 8024, *movit nurus*, male.

527. *Astris relictis : illitas vestes dabis*. Both., ut est plus æquo delicatus, proponit scribendum, *ast. r. illitam vestem ;* ne τὸ *s* frequentius sit in hoc versu.

531. *Aspiciat*. MSS. aliquot, *conspiciat*, non deficiente sensu aut versu.

537. *Tacitum intimas*. Lips. *et tactu intimas*. Heinsianus major, *tacitus imas*. Verissime Gronovius correxit : « et tacitum intimas Intret medullas. » *Tacitum* est tectum, latens, cæcum, secretum. Confer de hoc usu viros doctos ad Ovid. Metam. XV, v. 275. (Ed. nost. vol. IV, pag. 517, in nott.)

542. *Quatit*. Solœcum est, inquit Botheus, quod libri habent *quatit*. Scio plures ejusmodi locos esse in scriptoribus; sed corrigendos omnes esse aio, et legendum *quatis*. Mox nollem codici Flor. Gronovius obtemperasset, præferenti *ex umero*, unde ille *ex humero*, id est, inquit, « ex parte coryti sive pharetræ, quæ maxime tuum humerum gravat, quia graviores sagittas continet. » Certe hoc ipso Seneca affectatius.

552. *Fronte subita tumuit*. Sic Commel. At MSS. et edit. libri, *timuit*. Non placet Grutero *subita*. Veniebat in mentem, *cum fronte subditiva ;* ita quidem ut aut tolleretur *tumuit*, aut alterum epitheton poneretur loco τοῦ *rapidum*.

561. *Tuque, o noverca gravior ir. d.* Botheus adnotat : « Plerique omnes libri, « tu, qui noverca es g. i. d. » et vett. edd. quum ab Aldi discesseris : « tu qui nov. gravior. » Probavit etiam Gronov. Cur igitur in notam relegavit? nam sententia ipsa requirit, quæ hæc est, Cupidinem vicisse Jovem, vicisse Plutonem, eidemque ob id ipsum (*Tuque*, id est, tu quoque) et Herculem jam esse vincendum, illis comparandum.

562. *Solus evince*. Florentinus : « solus et vince Herculem. » Sed alterum efficacius, et asyndeta amat affectus.

564. *Texta famularem manum*. Flor. *fabularum*. Fortasse legendum con-

fecit Gronov. « lassavit omnem tela famularum manum. » Quamquam et *texta* ferri potest δεικτικῶς scilicet dictum in re : infra quoque, vs. 837 : « Famularis illum retinet errantem manus » præsenti. Both.

565. *Ut vestis bibat*. Flor. cum Lipsio, *et veste b.*

567. *Gnavus occurrit L.* Flor. *novus*, h. e. *navus*. Ita enim scribebant, ut docuit Heinsius ad Ovid. Ep. ex Pont. I, x, 12. (Et reipsa invenias in Ovidio nostro, vol. VII, pag. 306. Ed.)

568. *C. vis e. dira, ne pateant doli*. Flor. *c. vis e. dira, ne pateat, doli*. *Vis* pro veneno : sic et paulo ante « prolata vis est. » Reliqui autem codd. fere dant « C. vis est : illa ne pateant mala. » Τὸ *dira* quidem facile admitto, nec sperno *doli*, etsi usitatum in magicis τὸ *malum* (cf. supra 491, 524, 566), quia hoc modo legimus; sed conjungere *vis* et *doli* non sustineo, et seorsim *vis* accipiendum esse dico, quod vocabulum idem ac *malum* sonat veneficis. Both. — Tam evidentem correctionem non potuimus quin reciperemus.

569. *Non habent unquam*. Heinsius conjicit :

> O, quod superbæ non habent junctum domus,
> Fidele semper regibus nomen, Licha.

Quia *unquam* et *semper* non satis quadrent. Sed eumdem πλεονασμὸν offendes infra v. 633, 634 :

> Non ut presso vomere semper,
> Nunquam cesset curvus arator.

Nec reformidavit Terentius Adelph. III, 1, 6 (vs. 294) :

> nunquam unum intermittit diem,
> Quin semper veniat.

Ad sententiam plane facit illud Petronii, p. 679 ed. Burman.

> Quidquid dimittis in aula,
> Effluit, et subitis rumoribus oppida pulsat. Baden.

575. *Flect. merendo : merita vicerunt malos*. Permulti MSS. « Fl. emerendo : merita vincunt et malos. » Nonnulli, « Fl. em. m. vincunt malos. »

577. *Quam ture fl. pascat, et placet deos*. Dant plerique MSS. et impressi : « Q. t. flammas spargat et poscat deos. » MS. 8035, « Q. t. flamm. spargat et placet deos. »

578. *Cinctus*. Alii, *vinctus*.

582. *Lugendam vicem*. Sic Etruscus; non, *lugendas vices*, ut vulgo; quemadmodum *dolere nostram* et *aliorum vicem* dici monet Gronovius.

591. *Rupto fonte*. Vulgo *rapido*, sed Florent. *rupto fonte*, quod recipiens in ordinem Gron. « quasi, inquit, reseratis claustris, » et comparat Ovidii Met. I, 278 sqq. quæ vix, et ne vix quidem huc pertinent. Legendum procul dubio : *rupto ponte*. Plancus apud Ciceronem, Epist. fam. X, 23, *pontes interrupti*. Hic simplex pro composito.

Med. 584 : « properatque torrens Ister, et junctos vetat esse pontes. » Non ita raro *p* et *f* literæ confusæ. Вотн.

599. *Eleusin.* MSS. plerique, *Eleusis.*

600. *Nunc quoque casum quemcumque times.* Omnes MSS. « N. q. fatum quodcumque times; » nullo sensu, verbisque repugnantibus.

617. *Concitat aulæ.* MSS. *convocat aulæ.*

618. *Proximus ipsi.* MS. 8035, *proximus ipse.*

619. *Cl. latas ire p. u.* MSS. plerique : « Cl. datas ire p. urbes. » Vetus liber, « Clarus claras ire p. urbes », agnominatio non inepta, adnotat Fabricius.

624. *Lydia vincit.* Fuere, ait Baden. qui *Libya* reponi mallent : sed *Lydia* merito tuetur eruditus Anglus in Miscell. Obss. t. I, p. 288.

627. *Hebrus.* Burmannus ad Prop. I, 6, 32, cum Delrio scribit *Hermus.* Nulla est causa cur mutetur vulg.

630. *Spectet.* MS. 8030, *spectent.*

636. *Solas optat, q. ponat, op.* Recte Gronovius *ponat* legi jussit, secundum Flor. qui *ponit*, ubi vulgo, litera *p* forte versa, *donet;* quod adhorret a sententia.

638. *Perdatque alios.* Sic emendatiores libri. Vidit Botheus jungenda esse verba *omnes* et *alios*, quod non fieri posset si legeretur, ut in quibusdam, *aliquos.*

642. *Enata dies.* Alii legunt *abitura dies.* Hæc vero nimis longi temporis felicitas est. Conf. Plutarchus Consolat. ad Apol. 6.

650. *Brutia Coro.* MS. 8032, *Brutium C.* 8028, *Br. Choros;* 8033, *Brutium Choro.*

651. *Mitior unda est.* Quidam libb. *lenior unda est;* quod est διττογραφία, ut opinatur Both.

654. *Illa manu.* Plerique MSS. *ipsa manu.*

667. *Legit Eois Ser arb.* MSS. plerique, *L. E. Seres arb.* MS. 8024, totum vers. sic mutatum dat, *Legit cominus senes arb.*

669. *Nevere manus.* MS. 8035, *venere manus.*

678. *Patrioque p. constitit axe.* Consentiunt plures MSS. in scribendo : « patriosque p. concitat axes. »

683. *Cæli dum sulcat iter.* Ne quem moveant Delriani et Gruteri codices, qui *peregerat*, *percurrat*, *peregit*, *pergit*, Flor. nil nisi *sulcat.*

684. *Placitas... oras.* Lectionem quam dat Florentinus, *Latias oras*, merito culpat Lipsius; conjicit ergo *Italas :* quia et in Magna Græcia, Cumis, et eo tractu victitarit Dædalus. Hinc exsculpsit amicus ejus, *Latium* sumi pro tota Italia, ut solet pars præcipua pro toto. Addit non deesse huic acceptioni, ut loquitur, idoneum acumen; allusisse namque auctorem ad Saturni latebras et Latii etymon : his se primum oris Dædalum credidisse : hic tutum latuisse. Vellet sane hoc Minos : ita enim non persequendum eum habuisset in Sicilia, ut periret Cocalidum insidiis. Sic alludere est, se ludere et ridendum præbere. Etruscus,

placidas. Lege igitur: « Tenuit placitas Dædalus oras. » Pervenit, quo contenderat.

692. *Magnusque sonet.* MSS. fere omnes *magnusque volet.* MS. 8024, *felix magnusque nolet.*

693. *Turba potentem.* Male quidd. libb. et MSS. *turba potentum.*

695. *Meas.* MSS. *meos.*

701. *Mænas.* Heins. major, *Mennas*, quod idem valere animadvertit Both. sed libri ceteri et MSS. *Thyas*, quod minus tritum, quodque lectionis a Nobis receptæ glossema haberi potest.

702. *Rapido.* Lipsian. et Florent. *medio* pro *rapido* reponunt: Heins. major a manu prima, *gravido*: unde Raphel. et Gronov. *trepido.*

705. *Quodcumque tegis.* MSS. cum Lipsio, *quodcumque negas.*

713. *Semel profecto.* Sic Flor. codex. Corrupti libri, *Simul.* Ergo et omnes Gruteri, qui fere est ut hoc malit ob consensum vetustatis. Vide ut falsa species vetustatis etiam doctos auferat. Neque enim patitur oratio. At vera illa et multo sanctior vetustas Etrusci codicis hunc versum non continuat Dejaniræ, sed cum duobus insequentibus dat Nutrici, memori scilicet quod argumentum in choro tractaverit.

718. *Et, fraudem struit.* Legendum censet Both. *ut fraudem struit*, id est, *postquam.* Timuit Dejaniræ animus, conscius sibi fraudis, quam struit. Sæpe confusa hæc vocabula. Vel secundum Ascens. et Ald. quæ *astruit*, reponamus: *et, fraudem an struat*, Libet experiri. Nihil melius reperio. Gronov. si quæris: *et fraudem strui* (nempe, inquit ab ipso Nesso, qui quasi philtrum hoc ei commendaverat); Grotius: *et fraudem arguit.*

721. *Dolus.* Recte, ut censet Botheus. Cæteri libri *deus*, quod frustra defensum volunt.

727. *Abjectus horret sanguis.* In libris Gronov. occurrebat: *Abjectum horret virus;* sed non in Flor. custodiente vulgatam lect. Idem tamen, quod ex uno Pal. notat Grut. « et Phœbi comam tepefactus astris. » Legendum censebat Gronov. « Abjectus horret sanguis, ut Phœbi glomum Tepefecit ardor. » Vel *glomus;* nam et ita dixisse, *hoc glomus*, Veteres, testis Priscianus. Simile illud Horat. Epist. XIII, vs. 14: « ut vinosa *glomos* furtivæ Pyrrhia lanæ. » — *Phœbi coma*, etc. Flor. et unus Pal. *comam Tepef. astris.* Fern. et Cai. quoque *comam.* Legendum suspicatur Both. « et Phœbi *sonat* Tepefactus astro. » *Sonat*, stridet, dum fervet ab ardore, *s* et *c* literas misceri in libris nemo nescit. Conf. Both. Plaut. Capt. Prol. 3; Pœn. 370, etc.

730. *Quas vere primo lubricus perdit Mimas.* MSS. 8035, « Quas ipse primo vere lubricus. » 8260, « Q. v. primo l. p. » et 8036, « Q. v. p. lubricus perdidit. » In omnibus deest vox *Mimas.*

731. *Involutos.* Dant plerique MSS. *evolutos.*

735. *Sic languet omne vellus, et perdit comam.* Lipsii vetus, *comas:* sed neutrum ait placere. Delrius *comam* interpretatur ipsam illam lanam, qua vestem inunxerat. Sane et Flor. *comas:* sed præterea *omne vellus.*

Hoc quidem insanum bene. *Vellus* appellat, quod Sophoclem tot modis explicat, ipsam nempe lanam : *comas* vero floccos vel fila. Solum illud *languet* displicet. Utinam *tabet*, aut *licuit* haberet idem codex! Sic foret Sophoclis : Ῥεῖ πᾶν ἄδηλον καὶ κατέψηκται χθονί. Gron.

738. (*Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.*) Huic loco nihil ad integritatem deest : *que* pro præterea ponitur, ut OEdip. 564, et alias quidem sæpe. *Tacitam* accipe Nutricem, et vide, quæ annotavit Gronovius ad Hipp. v. 1085, in Animadvers. — *Sequitur*, id est, huc tendit, dirigit, nos quærit; quam verbi notionem explicat Burmannus ad Valer. Flac. I, vs. 3. *Tumens* exquisite dicitur pro mœsta. Confer de hoc usu Bentleium ad Horat. Art. Poet. vs. 197; *quassat* denique *caput*, plane ut OEdip. v. 912 :

> Mœstus it famulus manu
> Regius quassans caput. Baden.

—Audi contra Botheum : « Affectus locus. Fuit quum cogitarem de dea Tacita, cujus quum alii meminere, tum Ovidius, Fast. II, 583 seqq. Sed recte Lipsius de Nutrice hæc dicta censet, quæ cum filio, ut ait, superveniebat mœsto mœsta. Legendum censeo :

> Dumque ista miror, causa mirandi perit.
> Gnatum paventem cerno, et ardenti pede
> Gressus ferentem. Prome, quid portes novi!
> Timens quid ista sequitur, et quassat caput?

Ista, nutrix, quam monstrat digito. Simillimæ *a* et *d* literæ in scriptis. Hinc accidisse puto, ut pro *quidista* forte exaratum *quiaista* porro mutaretur in *quitaista*, *quitacita*, quod ἄμετρον corrector aliquis polivit. *Timensque* Mog. et Veneti. Flor. *Tumensque tacita quassat caput*, omisso *sequitur*, per oscitantiam, puto, descriptoris. » Both.

744. *Alcidæ*. MS. 3032, *Alcidem*.

748. *Qui me*. MSS. *quis me*.

752. *Nescio qua*. Ita Flor. ut legendum viderat Raphelengius. Male Avantius, et qui sequuti eum sunt, Delrius, Scriverius, alii : *Nessea*, quum ne per umbram quidem suspicionis constare possit Hyllo de cruore Nessi, ut recte monet Heidelbergensis criticus. — Parisiensis excusus, *quæ nescio*. Sed refragatur lex metri. Schroder.

753. *Ille, ille victor vincitur, mæret, dolet*. Heinsius, probante Burmanno ad Propert. III, 9, 15, scribit :

> qui domuit feras
> Mille, ille victor vincitur. Merito doles.

Confertque locum Nasonis (Heroid. IX, v. 25), ubi Dejanira :

> Quem non mille feræ, quem non Sthenelëius hostis,
> Non potuit Juno vincere, vincit Amor!

Quasi nihil interesset! *Qui domuit feras* est, domitor magnus ferarum, ut eum adpellat Chorus, v. 1989. Geminatio autem talis, quæ Troad. v. 722 :

> Ille, ille ferox, cujus vastis
> Viribus omnes cessere feræ.

Denique *mœret*, *dolet* ad indignitatem calamitatis refert. Idem v. 806 : « *Flentem* videmus. » Chorus v. 1209 : « pudet auctoris, non morte *dolet.* » Cf. Hercules ipse, v. 1265.

758. *N. s. mœres. Hercules toto j.* Sic Flor. Nisi quod Asceus. *toti*, quod fortasse rectius.

761. *Ejulatu.* Minime ineleganter Ascensius, *ejulatum.*

763. *Luctum occupasti : prima, non sola*, etc. Jac. Gronovius, quem sequimur, sic distinguendum vidit. In aliis legitur :

> Luctum occupasti prima. Non sola Herculem
> Miseranda mœres.

768. *Ipsas colos.* Ita Flor. quod efficacius lectiusque vulgato, *ipsa colos. Colus* pro *colos* ubique iste liber, ut monet Gronovius.

773. *Præced. illum dicis ? an poss. p. M. occupare ?* Grut. *Præced. tu illum d.* etc. Fuit quum suspicaretur idem ille legendum, *ah poss. prior Mortem occupare.* Hoc sensu : immo non præcedet si non obiit. Jam enim ei statim morte mea satisfaciam. Posset etiam fuisse, addit Grut., *at possum.* Nos vulgat. retinuimus.

776. *Pulsatur omni latere.* MSS. dant *Pulsant omni parte.*

779. *Instabilis vagas.* Dant plerique MSS. *instabiles vagus.* 8030 solus inter omnes, *instabiles vagas.*

780. *Volvit.* Aliquot libri et MSS. *flectit.*

781. *Dum lassa Titan mergat Oceano juga.* Mira varietas lectionum in hunc versum exstat. Plerique : « Dum l. T. mergat Oceano jubar. » 8026, 8260, 8262, « D. l. T. mergit Oc. jubar. » 8036, « Dum lassus T. m. O. jubar. » 8029, « D. lassum T. m. Oc. jubar ; » denique 8032, « D. lapsum T. m. Oc. jubar. »

785. *Auratis nemus.* Plerique MSS. *armentis nemus.* — 8032 dat, *argumentum.* Risum teneatis !

787. *Et pharetra graves.* MSS. omnes, *et ph. gravi.*

798. *Fugax.* Recte Gruterus : Apage nonnullorum (inter quos Raphel.) τὸ *ferox.* Ad h. v. conferendus est Virg. Æneid. II, 222 :

> Clamores simul horrendos ad sidera tollit :
> Quales mugitus, *fugit* quum saucius aram
> Taurus, et incertam excussit cervice securim.

803. *Voces.* « Parum placet, ait Botheus. An fuit : « et Cyclas *vices* Excepit omnes, » id est, vices vocum repercussarum ? Certe sic erratum comœdiæ initio, quæ inscripta Querulus. Vid. Annot. nostras in Plaut. pag. 835. » Bothe.

809. *Quærit et sequitur.* Flor. *sequitur et quærit.*

811. *Parum sui Pœnæ reliquit.* Florentinus, *parvum;* quod probat recipitque Badenius; τὸ *parum*, damnante versu, ut ait.

813. *Hac manu, inquit, hac ferar.* Sic Lipsius e libro, non modo Delrio applaudente, sed et Scaligero, qui etiam addit : quis improbare audeat? rem non improbamus, sed positionem vocum, auctore Florentino : « hac manu, hac, inquit, ferar. » Ratio est eadem, quæ in proximo, quia iambum illic damnat. Statim idem, vs. seq. : *Herculem vicit Lichas.* « Videtur hæc correctio ejus, inquit Both., qui repetitionem ejusdem verbi non ferendam esse arbitraretur. Sed cf. infra vs. 1516 et sq. Nec desunt similes alii poetarum loci, et quidem efficacissimi. »

820. *Inferius tamen Et tela fugient.* Grut. h. l. ita exhibet : *inferius tamen Fugiet arundo.* Ita hunc locum sanandum putavit vir ille eruditus, nuda ductus hariolatione, quum MSS et edd. vett. præberent, « inferius tamen fugiente trunco, » quod natum ex priore illa scriptura, facile deprehendet, inquit, qui nexus literarum penitius introspexerit. Haud tamen se rejicere Lips. cod. scripturam, quæ et est nostra.

821. *Et tela f.* Ita Both. ad h. l. « Nisi tela interpreteris *ista tela*, sagittas, quas dixit, exhibebit tibi vox negotium; quia non quodvis scilicet telum vel jacitur, vel adeo leve est, ut comparari cum Licha abjecto possit. Legam igitur *ea tela fugient*, vel, quod malim, *et illa* (arundo) *fugiet;* quæ vulgatæ simillima lectioni. » Perquam ingeniosa interpretatio, quam tamen non audemus sequi.

822. *In saxa cervix.* Flor. *in saxa versus;* unde Gronovius : *vertex*, caput.

826. *Vix pest. indicat, Et sævit.* Apage istud *Vix!* non vix sed plane, indicaverat Hercules, gravissimo se malo premi. Omnino autem displicent verba *vix pest. ind.* nec iis, quæ jam loquutus Hercules est, recte dicatur significare pestem istam latentem. Reliquerat, opinor, tragicus :

In me juvat sævire : *vis pestem incitat.*

Sæviendum sibi in se ipsum Hercules putat propterea, quod eum esse hunc morbum sentit, cui non medicari quis se posse speret, sed vi (magica, vid. sup. 568) incitatum, cui remedium præter mortem nullum inveniat. Both. — De *vis* pro *vix*, vid. infra ad v. 833.

830. *Palla horridi.* MSS. dant *p. horrida.*

831. *Ipsam vestis.* Reponunt *ipsa vestis* libb. et MSS. quidam.

833. *Sed causa tamen est; vixque sufficiens malo.* Quod suadet Gron. « Sed causa tamen est visque suffi. m. » contrariam atque ipse vult sententiam habet. *Sufficiens malis* is, qui par malis est, ut dicitur Curtio, VIII, 4, 10, quem citavimus Nos in notis; similiaque passim alii usurpaverunt. Recte igitur se habet τελεία ὑποστιγμὴ post *tamen est*, et de Hercule accipienda verba « vixque sufficiens malo. » Non quidem apparere dicitur causa istius cladis, sed subesse tamen certissime. Both.

834. *Ferit.* Flor. *premit.*

836. *Fluctisona q. litora.* Plerique MSS. *et nota q. lit.* MS. 8036, *sed nota q. litora.*

842. *Quid, an. cessas? q. st. fact. scelus?* Audi Botheum : « Vulgo de Dejanira hæc accipiuntur, quasi deliquium animi passa. Sed in λειποψυχίᾳ non loquuntur. Recte itaque Lovaniensis secundum vett. edd. « Ipsum Herculem relinquit animus, vires deserunt, paulatim emoritur. » Sophocles Trach. 791 :

> Τοσαῦτ' ἐπισκήψαντος, ἐν μέσῳ σκάφει
> Θέντες σφε, πρὸς γῆν τήνδ' ἐκέλσαμεν μόλις,
> Βρυχώμενον σπασμοῖσι· καί νιν αὐτίκα
> Ἢ ζῶντ' ἐσόψεσθ', ἢ τεθνηκότ' ἀρτίως.

847. *Tolle fulm.* MSS. Paris. *redde;* corruptum forte fuerit e *perde.*

854. *Perdidi sola Herculem.* Vulgo : *perdidi erepto Hercule.* Sed Lipsian. et Flor. *p. sola Herculem.* Voluerunt haud dubie : « perdidi in solo Hercule et ipsa populos. » Perdiderat Phaethon populos, sive humanum genus. Idem se admisisse dicit Dejanira, dum unum Herculem perdiderit. Nihil planius, nec conjiciendum cum Gronovio : « Perdidi haud solum Herculem, Et ipsa populos. »

857. *Hæc erit voto manus.* Frustra Grut. hic repugnat Lipsio, rescribens : *hæc erit votum manus.* Nam et Flor. et codex Germanicus Gronov. *hæc erit voto*, i. e. pro voto. Sic etiam vs. seq. « cur deinde ferrum? » Tum : « quidquid in mortem trahit. »

859. *Cur deinde ferrum?* Fere omnes MSS. *cur demum ferrum?*

865. *Asperi montis latus.* Permulti codd. et MSS. « *asperi* ponti latus. » MS. 8024, errore sine dubio scribarum, *asp. pontus l.*

871. *Coite gentes : saxa*, etc. Ortelianus : « Colligite, gentes, saxa. » Rapheleng. « Conjicite, gentes, saxa. »

872. *Nulla nunc cesset.* Solita confusione, ut reprehendit Both. Florentinus dat, *nulla non cesset.*

874. *Gerent.* MSS. omnes, *gerunt.*

879. *Opposui Deis.* Heinsius malebat *exposui;* sed frustra. Vid. ad Phœniss. v. 407.

880. *Facem.* MS. 8036, *faces.*

883. *Juno, tui.* MS, 8036, *Juno tibi.*

887. *Quicumque fato ignoscit.* Vulgati, *facto*, male : nam et infra 901 : « Fata quis damnat sua? » Ubi perperam etiam in editis, *facta;* ut et monuit Delrius.

889. *Nocens videri, qui mori quærit, cupit.* Varietas magna in MSS. scriptura. MS. 8030, « N. v. qui petit mortem, cupit. » 8262, 8031, « Noc. videtur, qui mortem cupit, petit. » 8026, « N. videtur, qui mortem quærit, cupit. » 8260, « Nocens videri petit, mortem cupit. » Nos, ut accommodatiorem, vulgatam retinuimus.

892. *Vitam relinques misera?* Both. ad h. l. adnotat : « Vulgo : Vitam relinques misera. Dej. At Alciden sequar. » Sed Flor. et omnes libri vett.

Delrii : *ut Alciden;* præterea Flor. *miseram*, unde concinnans nostram lectionem Gronovius : « Ita, inquit, duplex pretium relinquendi. »

894. *Vinci Hercules quum potuit, h. cœpit mori.* Sic et Flor. *hinc temporis est*, ex hoc. Itaque mirum Grutero blandiri divinatiunculam suam : « quam potuit, tum cœpit. » Quasi possit blandiri tam turpe vitium versus.

896. *Quamcumque natus.* Flor. *quacumque natus;* unde receptam a nobis lectionem Scaliger conjecit.

897. *Virum sequeris?* « Libri publicati : *Virum sequeris?* tamquam mortuo jam Hercule, quum modo dixerit mulier, adhuc eum superesse. Immo legendum : « Virum sequeris. » Quæ sunt civiliter imperantis. Jubet eam sequi Herculem, quem superstitem credit. Sed Dejanira : Non, inquit, sequi, sed prægredi castæ solent, ut Alcestis. » Both.

899. *Nemo nocens sibi ipse p. abr.* Explicat Gronovius hanc lectionem; et vide in notis. De qua judicium ferens Botheus, ait : « Minime quidem mala hæc interpretatio, nisi quod multi sunt, qui culpam præstare se posse putant, quæ in eos merito confertur. Quare magis probo reliquorum librorum (nam ita, ut editum, solus Flor.) lectionem *irrogat;* ut neminem, qui sit nocens et malus, culpam fateri suam dicat Dejanira, sed negare quidquam se commeruisse aut peccasse. Sed omnium optime placet Raphelengius, qui legit *innocens*, quæ sententia nec lusca est, et ea, qua aptiorem aliam non excogites, modo et hunc versum des nutrici. » Both.

902. *Sortitus.* Both. « Vulgo non distinguitur post *sortitus*, quasi is fata sua damnare diceretur, qui fata iniqua sortitus fugeret : quod ineptum. *Sortitus*, sortitus est. »

905. *Lernæa figens t.* Gronov. « Lipsius *figens*, quia sic MSS. et non convenit huic rei *flectendi* verbum. Redit ad ingenium amicus : *figi* ait in corporibus tela, sed postquam *flexus* arcus : nec novum, quod arcus proprium, accommodari telis : ideo retinere se cum quatuor MSS. *flectens*. Si legit arcum ferri in pharetra, legit et tela flecti, quum mittuntur. Nos interim cum Lipsiano et Flor. retinebimus *figens*.

911. *Placet scelus punire.* Sic Lipsius et Flor. ceteri MSS. *Fraudem placet punire.*

916. *Serpentis illi virus.* MSS. aliquot invenuste, *serp. illud v.*—*Enectæ autumas.* Fere omnes MSS. *evictæ autumas.*

920. *Nessi opprimet.* MSS. permulti, *Ness. opprimit.* 8029, *Nesso opprimit.*

924. *Cum Alcide occidit.* MSS. *Alcidem occidit.*

930. *Interim pœna est mori.* Delrius corrigit : « interim pœna est mora : » vel, « crudelis ille est interim. Nutr. Pœna est mori. » Ostendit se non cepisse, quid hic esset *interim*. Lipsius hanc sententiolam attribuit nutrici : quod sequitur, *sed sæpe donum*, etc. Dejaniræ : tum rursus Nutrici, *in pluribus veniæ fuit.* Repugnant Scaliger et Gruterus. Interpretatur ille : eatenus est mori pœna, quatenus mori cupiens vetatur : tunc mors quæ

concessa beneficii loco est, cedit in pœnam. Hoc non capio, ait Gronovius. Et vid. in notis, quid proponat. Addit insuper idem, certe τὸ *in* non agnoscit Florent. Velim itaque distingui : « *Sed sæpe donum. Pluribus veniæ fuit.* » Hoc postremum, ut supra, vs. 857 : « hæc erit voto manus. » Nec tacendum Grotii eodem modo distinguentis, scribentis vero : *pluribus venia obfuit.*

933. *Non nuptæ, sciant.* Sic Florent. At Gronov. « non n. sciat, » et addit : Sic Lipsius quum legeretur, *scias.* Refert autem ad Herculem ; et placet Delrio.

934. *Absolvent ream.* MSS. omnes, *solvent ream.*

942. *Sisyphia cervix.* MS. 8032, *Sisyphea c.* MS. 8028, et sane vitiose, *Sifygia c.*

944. *Deludat sitim.* Præbent MSS. plures, *decipiat sitim.*

948. *Vacat una Danais.* Auscultaverunt Raphelengio scribenti *vacat*, quum simile hoc crederet illius in Herc. Fur. v. 500 : « deest una numero Danais : explebo nefas. » Omnes libri tam scripti quam impressi, *vacet*, quam lectionem declarans recte Delrius : « jubet, inquit, earum unam, quæ labore irrito aquam hauriebant, vacare : se obituram vices ejus. Illa, quæ numero deerat quinquagesima, non vacat : nunquam apud Inferos cum sororibus forato vase undas, quas perderet, repetiit. »

951. *Utraque dextra est Sc. seu mater nocens.* MSS. quidam hunc versum, deficientibus utrinque vocibus, sic legendum præbent, *Utraque dextra est ; adde me comitem tuis.*

957. *Nemoris sacri.* MSS. 8037, 8262, *nemoris sacrati.*

959. *Nec memor castæ facis.* MSS. aliquot : *nec mora castæ fides.*

960. *Cruenta Belias in ferro.* Florentinus *bella cum ferro*, ex quo Gronovius rectissime fecit *Belias in ferro.* Apuleius, Met. III, 47 : « At illi barbari neque Bugam cepissent, et quum me viderent in ferro, tamen audacter resistunt. » Ovidius, Met. VIII, 313 : « in armis. »

961. *Agnoscat.* Libri impressi et MSS. *cognoscat.*

962. *Turbam libet.* MS. 8035, « turba libet. »

966. *Atque semiferi doli.* MSS. quidd. *namque semif. dolis.* 8028, *namque s. dolui.*

973. *Aliqua, et armatæ manus.* Libri quidam, « aliqua Sarmatica et manus. » Nihil insanius. Flor. sed et alius Germanicus, perinde ut Lipsii codex : *aliqua et armata ;* unde rectissime, ille *armatæ.* Valeant, facete subjicit Gronovius, Sarmaticæ Amazones Gruteri.

975. *Teque languenti manu N. audit arc.* Pedestris lectio, ait Both. qui mallet, *languentem manu.*

977. *Animose.* Sic Lipsius. Omnes libri *animosa.* Sed recte Gruter. « Cur, inquit, minus placeat *animose conjux*, malimque librorum scripturam, est, quod non videam cur ita compellare debeat maritum adeo viribus defectum, ut vix mortem feminæ inferat ; at se *animosam* jure dicat, quod ultro morti ipsi incurrat, nihil refugiens, ut solent mulie-

res. Sic et infra eadem vs. 993 : « mater *intrepidum* tibi Præbehit *animum.* »

981. *Et quidq. aliud restitit : ab illis t. conj. Red.* Gronovius : « Id est, succubuit tibi, sed excidit syllaba. Videtur fuisse « Et q. a. c. *et* ab illis tamen. » — At posterius illud *et* nullam omnino vim habet, reponit Botheus. Nec tamen melius, qui itidem metri, ut videtur, gratia facere, *restitit.* Legendum, nisi me omnia fallant :

> Et quidquid aliud cessit. A *bellis* tamen
> Conjux, redit.

Bella Herculis opus. Ipse Herc. Fur. 638 : « Me *bella poscunt.* » Cf. ibidem 211 ; et sic passim. A bellis, inquit, quamvis periculosis, tamen semper rediisti ; quidni a sacrificio ? Vitium ortum e scriptura contigua.

997. *Nec frangens mala.* Comm. « nec *peragens* mala. » Alii, *perages* ; alii, *perdens.*

1001. *Parcent.* Vetus edit. et MSS. plerique *parcant ;* tres vero eorum, *parcam :* malit *parcunt* Gruterus.

1003. *Quænam ist. t. angue v. com.* Legit Heinsius : « Quænam ist. t. *igne* vip. com. » Ut Annæus per *vipereum ignem,* oculos serpentum ardentes ac scintillantes innuat. Nihil ea conjectura speciosius esse potest.

1004. *Atras squalidis pinnas.* Refingit Heinsius *atras spiras*, vultque spiras serpentum intelligi. Nos cum Badenio vulgatam retinemus, et vide notas.

1005. *Quid dira me flagrante p. f.* MS. 8035 sic : « Quid me flagr. Diva, pers. f. »

1006. *Pœnas poscit Alcides : dabo.* Florentinus : *poscis Alcidæ ? Dabo.* Sequuti hic quoque sumus Florentinum, ut locis omnibus, in quibus vulgata vel meliorem lectionem, vel certe non deteriorem, habet. Both.

1007. *Jamne Inferorum, Diva.* Florentinus : « Jamne Inferorum, *Dira ;* » sed furiam dici Diram, quemadmodum furias Diras, haud memini. In proximo versu τὸ *diras* corruptum fatetur Gron. tentatque *apertas*, aut *laxas.* Sed neque *carceris* emendatum, nam *carcer* per se nusquam significat regnum Inferorum, nec potest. Sublectum infra 1141. Reponendum censeo :

> Sed en ! reclusas Tartari video fores.

Nihil frequentius *c r s* et *t*, itemque *i* et *u*, literis inter se commutatis, nec raro *cl* in *d* transiit. Quid mirum, exarari cœpisse *sedencedisastartari*, mox factum esse *sedeccediras carcari*, tum *carceris ?* Both.

1009. *Detritis gerit.* MSS. nostri omnes, *detritus gerit.*

1011. *Membra quis præbet rotæ ?* Flor. « Membra quis queritur rotæ ? » quod Botheo videtur elegantissimum, ut Ixion dicatur queri membra sua apud ipsam rotam, ad quam religatus est, quoniam nemo adest, quem compellet, quique ipsum vicissim alloquatur. Sordent præ his vulgata, nec placet, quod Nic. Heinsio : « membra quis teritur rota ? »

1016. *Crepuit excussis : minax.* Gruterus : « Reduxi quod invenerat in suo Lipsius, neque secus Palatinorum unus. Vulgati hactenus, « crepuit : excessit minax Unde, etc. » Quod nauci non est : posset tamen utcumque ferri, si puncta sic mutes, « crepuit : excessit minax. Unde, etc. » ut illa *excessit minax*, dicantur de Megæra. »

1018. *Populi fremunt.* Pontanus, rectum et γνήσιον judicat, quod et Cantabr. et Cruzerianus, et Delrii liber, agnoscunt, *populi premunt.*

1021. *Mors sola dabitur ærumnis meis.* Inclinat fere Grut. in scripturam Pal. unius, qui « portus dabitur ærumnis loco. » Et sic Germanicus. Flor. simplicissime, « mors sola port. dab. ærumn. meis », cujus lectionem ut probabiliorem recepimus.

1023. *Herculem terris.* Sic vulgati libri. Both. *Herc. in terris.*

1026. *Nunc nostra sup. mortis auferre impetum.* Melius et clarius fore arbitratur Lips. si scriberetur : « N. nost. sup. mortis *aufero impetum* ? Nam, ait, Hyllus animi inconstans hæc dicit : Et quid ago? prohibeo matrem mori? in patrem pecco, quem illa interfecit; ideoque mori meruit. »

1030. *Inhib. t. est : p. et erip. scelus.* Bene Florentinus : « Inh. t. est, *verum* et eripiam scelus. » *Verum* scelus vocat, quod sciens admittit, quum Herculem nesciens occiderit. Quid ad hoc vulgatum : « pergam et eripiam scelus » ? Both.

1033. *Aptans Pieriam chelyn.* Gron. « *Tangens Threiciam chelyn.* » Cur hoc improbum? aiunt. Sic Propert. « Threiciam lyram » vocavit. Ne hoc quidem docendus erat Lipsius : sed in MS. quem ipsi præclarum, cujusque præclaras castigationes agnoverunt, invenerat, *Pieriam*. Dicam aliquid amplius. Ne *tangens* quidem improbum : et sic omnes MSS. quos antehac viri docti collatos excerpserunt. Flor. tamen « *aptans Pieriam* chelyn. » Cui contra omnes alios merito favemus.

1038. *Oblitusque s. fugam Amisit liquor impetum.* Ita Flor. quod ante vulgatæ lectioni *fugas* præferunt, Lipsiique emendationem *fugax* ambiguis accensent, quasi non centies *s* pro *x*, et contra, scriptum legeretur in codd. neque satis appareret Nostrum ob oculos habuisse illud Horatii, Od. II, 3, 11 sq. « et obliquo laborat *Lympha fugax* trepidare rivo. » Nam ut demus illis, *fugam* dici solere Tragico motum seu cursum, quid tum postea ? aut quid diversi habent *oblivisci fugam sequi*, i. e. cursum, et *amittere impetum* ? perparvi sane interest. Melius haud dubie *fugax*. Sed ne hoc quidem reponendo defungi licet : nam qui *sequi cessat*, is utique *impetum amisit*. Alterum igitur horum posuisse sufficiebat, neque pro sano habendus locus est, sed legendum, si quid video, *Oblitusque sui*. Pro *sui* forte exaratum *seci* in *sequi* videtur transiisse, quemamodum *c* et *qu* misceri constat. Torrentes, rivos, fluvios, denique pariter moratus esse Orpheus dicitur. Both.

1043. *Advexit volucrem nemus.* Ita MSS. omnes et edd. antiquæ, comprobante Grutero. Libri quidam *volucres*, inepte : nam sequitur, *residens.*

1049. *Centauros obiter ferens.* Sic Lips. Flor. Grut. At MSS. perpauci *centauris ob. f.* Fatuissima sane lectio.

1054. *Cantus.* « Modo legimus *cantibus*, adnotat Both. legemus infra, 1064 *cantu*, 1071 *cantus*, 1087 *cantùs*, 1090 *cantibus*, denique *cecinit* infra vs. 1092. Adeone inopem verborum vel Senecam esse, vel ipsam linguam latinam! Cave credas; sed et hoc loco et in vs. 1071, *carmen* vel simile aliquid fuisse arbitror in autographo.

1060. *Tunc oblita veneni.* Editio princeps *mali sui*, quod versus fulciendi causa subjectum videtur. Sed Pherecrateus quoque est vs. 1080:

Orpheus carmina fundens.

Id *oblita veneni* suum fecit Silius, III, vs. 301:

Ad quorum cantus serpens oblita veneni,
Ad quorum tactum mites jacuere cerastæ.

1062. *Manes quum tacitos adit.* MSS. *M. commonitos adit.*

1065. *Tristes.* Quidam, minori numero, *turpes.*

1066. *Movit.* Non sic reponendum censet Both. sed *vidit.*

1071. *Volucres.* Raphelengio placet *volucrem*, ut in Ortelii libro.

1072. *Aurito quoque navita.* Recte Gron. « Non audiebatur Charon, sed Orpheus; et Charon poterat audire. Nic. Heinsius conjiciebat: « Adjutum quoque navitam I. r. æ. N. vehit. » Sed minore mutatione et sane verius potes: « Attento quoque navita. » Neutra ratio probabilis, sed legendum videtur:

Audito quoque nablio.

Ovidius, Art. Am. III, 327: « Disce etiam duplici genialia *nablia* palma Vertere. » (Ubi Nos *Naulia* et *Verrere*. Ed.) *Naulio* forte exaratum fuerit pro *nablio*, quemadmodum *b* et *u* literæ miscentur; inde porro, ut fit, turbatum. Longius a scriptura codicum recedit *barbito*, quod citharæ genus, quum illud velint esse psalterium. Sed non argutandum in poetis rebusque vetustate obscuratis. Conf. Schneideri lexic. græc. v. Νάϐλα. Both. — Evanescunt hæc omnia coram ingeniosa Badenii lectione, *aurito*, quam explicamus in Nott., ubi videsis.

1077. *Rabidam.* MSS. 8030 et 8032 exhibent *rapidam*, male; et sane scribarum errore qui *b* in *p* verterunt.

1080. *Fundens.* Gronovio videtur auctor, versus causa, scripsisse *funditans.*

1081. *Lapis improbus.* Dictus *Lapis improbus* videtur lapis improbi, Sisyphi, ex Botheo. Vide in notis, tum quid Gronovius senserit, tum quid Nos acceperimus.

1083. *Consumtas.* MSS. 8024 et 8033, *consumtos.*

1094. *Et qui tempora. dig.* etc. Vulgo: « Et qui tempora digerens, » quod quum inconditum videretur, ut est, Rutgersio, hunc et sequentes duo versus post 1110 inculcari jussit Var. Lect. VI, 2. Sed ne illuc

quidem conveniunt, nec nisi summa necessitate compulsis trajectione criticis utendum. Legam equidem : « *Ex quo* tempora, etc. » id est, inde ex creatione mundi. BOTH.

1095. *Quatuor.* Huic versui negotium exhibet *Quatuor* vulgatum; id quod intelligentes Badius et Gron. suffecere *Certas* ille, hic *Quartum*, pro *Quater*, quod an liceat non habeo dicere. Non inepte pro interpretatione τὸ *Quatuor* adscriptum censet Badius Ascensius. Nam δισσύλλαβον esse verbum, ut apud Ennium, vix adducor ut credam; nec me movet Agam. 250, (in *suapte*) quem versum itidem corruptum puto. BOTH.

1097. *Avidas colo.* Sic Flor. At Both. scribit, *non avidi colus.*

1102. *Jamjam legibus obrutis.* Omnes libri *legibus obrutis*, quod interpretatur cum aliis Gron. *irritis*, nec non ita legi malit, præsertim quum his sit *obruet* in sequentibus. Possis et *oh* (vel *ah*) *! ratis*, quo ratas istas leges non inepte queratur chorus; vel *additus*, quemadmodum *Teucris addita Juno* et hujusmodi alia dicuntur.

1110. *Amissum.* MSS. 8032, 8260, *admissum.*

1112. *Cæli reg. concidens Ortus atque obitus trah.* Grut. *Cæl. reg. concidet, Certos atque ob. t.* et addit : « Pal. unus punctis subduxit vocem *certos :* et vero, nihil hoc loco contaminatius, si fides alteri scripto, qui clare præferat: *Cæli reg. concidens ortùs atque ob. tr.* Egregie. Obruet, inquit, una ruina omnia, et qua dies oritur et qua moritur. »

1115. *Mors aliqua.* Elegantissime Nic. Heinsius *nox alia*, id est, alia ac naturali. De Morte dicitur in proximis. Sæpe confusa hæc vocabula, velut et infra, 1949. BOTH. — Lectionem Heinsii reprehendit Baden. qui ut anteponendam servat vulg.

1117. *In se constituet sibi.* Sic Both. « Si *in se*, cur et *sibi ?* Alterum nimirum satis erat, neque sic balbutire existimandus Seneca ; sed legendum est *ipsi constituet sibi.* Hæc verba sæpius confusa ob *n* et *p* literarum similitudinem. »

1120. *Fractis...polis.* Gronov. ex quibusd. legit *stratis ...p.*

1124-1127. *Quis tantum ... capiet tria ?* Locus depravatus, contendit Both. Acceperant a Lipsio, quod ipse a libro suo : « quis tant. cap. nef. fratrum ? » Nec male explicat *nefas fati* rem gravem, nimiam, et quæ naturæ legibus adversetur, quomodò *nefas* seu *crimen fati*, *scelus facinusque deorum* appellent immaturos carorum interitus. Cæterum quod reponi jubet *Superi*, ridet idem Both. cum Schrœdero θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς; legendumque dat :

> *Qui* tantum *capiat* nefas
> Fati, quis *superest* locus ?

Quæsiverat, utrum in Tartarum an cælum collapsurus sit olim mundus fractus. At, inquit, ipso mundo deleto, quis superest locus, qui tantam molem capiat ? vel si superest aliquis tum locus, unusne tria mundi regna capere poterit ? Omnia hæc ἀσυνδέτως, suo more.

1133. *Moriar.* Flor. *morior.* Quod Both. ut fortius vulgato *moriar*, reposuit.

1134. *Novercæ.* Sic Lips. At MSS. aliquot, *noverca.*

1141. *Laxabit.* MSS. et aliquot vett. edd. *laxavit.*

1143. *Cælumque red.* Ald. Lugd. Basil. *cæloque;* eodem sensu.

1149. *Cælum omne fiat.* MS. 8035, *cæl. omne faciat.*

1152. *Jam Thessalicam Pel. Ossam.* Variant MSS. quidam, « J. Thessalica P. Ossa; » alii vero, « J. Thessalia P. Ossa. »

1163. *Quum pæne trepidis.* In duobus veterrimis codicibus, pro *trepidis*, est *lassis*, unde Gronovius et Lipsius faciunt *lapsis.* Nihil mutandum putat Badenius.

1165. *Stridet.* Fabric. et edd. vett. præter Aldinam *stridit;* quod non deterius Botheo videtur.

1167. *Latus.* Gron. *lapis* legendum conjicit; Both. defungi posse videtur si reponat « nec instar montis *abruptum* latus, » i. e. abruptum latus montis, quod est instar totius montis. Hanc medelam non adoptavimus, utpote nimis coactam.

1168. *Gyges.* Omnes propemodum libri, *Gigas*, non *Gyges;* ut vulgo legitur. Etiam Flor. *Gigans*, quod eodem recidit.

1172. *Impendo, hei mihi.* Sic Lipsiani MSS. male. Edd. et MSS. plerique, *imp. male in nulla*, etc.

1175. *Herculis vestri pl. Mortem perire.* Flor. « Herculem vestrum placet Morte ferire: » quod pessime fucans Gronov. tentat *feriari.*

1178. *Auctor Alcides quibus?* Haud optime Flor. *morior Alc. q.*

1179. *Invicta si me.* Heinsius *Invita* volebat. Sed idem Seneca, Epist. 30, *invictam necessitatem* dixit. Baden.

1181. *Cadere potuissem, hei mihi.* Ad h. loc. Gronovius: « Lipsius, lego, inquit, *hei mihi*, non addito, ex scripto an ex conjectura. Ergo referunt in Herbip. et Venet. fuisse: *potuisset mihi:* quemdam reponere, *potuissem hei mihi:* se vero suspicari, *prodesset mihi.* Gruterus vero optime iterum Lipsii scriptum habere fatetur, doletque quod ob sacramentum suum vetetur sequi: sed hoc sacramentum, nihil ex uno libro aut de conjectura contra conspirantes in errore manifesto librarios, quoties ipse hoc ipso in opere violavit? Νήφειν δεῖ καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις: neque nihil, neque omnia hoc est sacramentum nostrum. Verum Lipsianum censeo, etsi de ingenio sit ejus, non totidem apicibus de libro. Credibile est fuisse in illo, quod in Herbip. et Ven. Nos in Florentino vidimus: *potuisset mihi.* Ut autem in Livio Puteanorum, in Pandecte Florentino, in hoc Seneca observare licet, ob similitudinem aut in medio earumdem, aut in fronte ac fine diversarum vocum, literas aliquas omisisse librarios *potuisseimihi*, ut scriptum erat pro *potuissem hei mihi*, genuit illud, *potuisset mihi.* »

1182. *Minis.* Flor. *nimis.* « Fortasse, ait Gronovius, *cadere potui feminæ, Sed cælum habenti.* » Scilicet non recte putat decorum heroi ce-

dere minis. Sed recte Schrœderus : « Recordari poterat vir summus, *minas* intelligi *Deorum*. » Cf. Victor. Var. Lect. IV, 17.

1183. *Si nimis.* Grut. non ineleganter, *siu nimis.* — *Superi.* Codex Florent. *Superis.*

1186. *Hinc gravior tui, Noverca*, etc. Gron. « Hic gravior tibi, Noverca, pudor est. » Non improbo, malim tamen : « Hic g. tuo, N., p. est : » ut suum ipsius nunc pudorem graviorem dicat, quam Junonis ob superatum nunquam a se Herculem. Quod dat Flor. « Quid diem hunc *talem* putas, » videtur σφάλμα librarii, alteram pro altera literam perscribentis, quemadmodum alibi *geret* pro *reget*, *leto* pro *telo* et similia leguntur. Both.

1190. *Ferebas.* Plane assentitur Grutero Botheus, in legendo *furebas* potius quam *ferebas.*

1199. *Lucem recepi; Ditis evici moras.* Sic vulgat. Flor. *lucis erui, m.* sed vitiosum *erui*, nec placet Gronovii *emerui.* Retinendum est *evici; moras* interpretandum obstacula, quibus impeditus erat Hercules, quominus ad lucem mundumque superum rediret, quæ tamen omnia perrupit.

1200. *Ut leto inclyto Fortis carerem.* Lipsius ex MSS. « ut telo inclitæ mortis carerem. » Plane dissentientibus verbis et sensu. Hanc tamen lectionem, *ut telo inclytæ Mortis carerem*, accipit Gronovius : « Tantummodo literam muta, ait : *ut telo inclyto Mortis carerem.* Quod ut agnoscas auctoris esse, recognosce quod supra posuit : vs. 1166, *haud meæ telum necis Saxum est, nec instar montis abrupti latus.* Et superius, vs. 860, *quidquid ad mortem trahit, Telum est abunde.* Ergo *telum inclytum mortis* est nobile instrumentum, honestus auctor mortis : ut qui Æneæ magni (Æn. X, 830,) dextra cadunt. »

1201. *O feræ victæ, o feræ!* Florent. non exhibet *o*. Legendum vult Both. *o feri victi et feræ.* Nam, ait, feros reges vel latrones et feras fudit Hercules; neque agnominatio inepta. Cf. 1241 et 1295.

1203. *Ad Styga reduxit.* Vulgatum « Ad Styga *reduxit*, » etsi ferri potest, ut *subducere* illud Lucani, II, 492, tamen non est pro immani feritate Cerberi, nec dubito quin legendum sit *retraxit.* Origo fraudis, *d* et *t* literarum vicinitas. Nævius incert. trag. ap. Non. v. *promicare* :

> Si quidem vis loqui,
> Non pertacere muta, longe promicanda oratio est.

Ubi inepte libri : *Non perdocere multa.* Both. — *Sub Hesperio polo.* MSS. 8035, *sub Hesperi polo.* MS. 8029, *sub Hespero sole.*

1210. *Cupit.* Arbitratur legendum *cupis* Both. ut vult esse colligendum ex sequentibus 1214, 1217.

1211. *Vasta pressus mole gigantum.* Sic vulg. at Flor. cum Both. « Vasta tumidi mole Gigantis. »

1212. *Montiferum.* MSS. omnes nostri, *monstriferum.*

1214. *Si tua causa.* Scalig. legebat, *Si tuæ caus.* etc.

1218. *Heu qualis intus scorpios . . . Plaga revulsus.* Legunt, inquit Gron. *Heu q. intus*, ex MS. suo; *et plaga revulsus :* placet, nisi quod retineo *plaga reversus.* Ergo et Gruterus, etsi blandiatur leviter Lipsiani codicis scriptura, alterum retinet : et pro priore facit : « Heu, heu, quis intus. » Sed Lipsianum omne confirmat Flor. et præterea facit *Scorpios.* Utrum terminatione græca, an voluit *Scorpio.*

1220. *Sanguinis quondam capax Tumidi vigor*, etc. « Ineptissima est vulgata lectio, adnotat Both. nec juvat Florentini, *Tumidi decus pulmonis;* sed ipsa res clamat reponendum esse :

> Sanguinis quondam capax
> Tumidi *ecce! cor* pulmonis arentes fibras
> *Destituit;* ardet felle siccato jecur,
> Totumque lentus sanguinem *adfecit* vapor.

Pulmonis distinctionem sentire Hercules non poterat; poterat pulsum debilitatum, a quo recte conjicit arentes destitui pulmonis fibras. Ergo rectum est *Destituit.* Nec me explet Gronovii *excoxit.* Celsus, IV, 7 : « Pulmo totus *adficitur.* » Scriptum *afecit*, *avecit*, *avexit.* »

1224. *Aditus.* Flor. *aditum.*

1226. *Et totas malum Hausit medullas.* In Florentino *costas*, unde Heinsius conjicit *tostas.* Sed *hauriendi* verbum postulat *totas*, et sic Noster, Hipp. v. 279 :

> Labitur *totas* furor in *medullas.*

Ovidius, Met. IX, v. 483 :

> Ut jacui *totis* resoluta *medullis!*

Prudentius, Hymno VI, v. 15 :

> Mens æstuans procellis,
> Curisque sauciata
> *Totis* bibit *medullis*
> Obliviale poclum.

1234. *Agnoscis.* MSS. plerique cum Delr. *agnoscas.* Vulgat. nostram Grut. exhibet cum optima parte Palat.

1235. *Hisne ego lacertis.* Fabric. « Particula *ne* prænomini adhærens, aliis quoque locis ab invenusto quodam homine addita. Legendum enim, *His ego lacertis.* Ita Ovid. Metam. IX, 197 : « *his* elisa jacet moles Nemeæa lacertis, » *his* pro *hisne*, reposuit. Ita inf. 1241. » — *Spolia.* Quid est ait Gronovius, *elidere et premere spolia?* Præclare igitur Flor. « hisne ego lacertis colla Nemeæi mali Elisa pressi? »

1237. *Detulit.* Flor. et Lips. *depulit;* Mog. *retulit.* Eguian. *abstulit.*

1240. *Elisit fretum.* Gronovius malebat *emisit.* Sed *elisit* dictum videtur respectu angustiarum, per quas Gaditanum penetrat fretum, quod angustissimum pelagus vocat Mela, II, 6, 60.

1244. *Quis mea custos manu.* Sic Both. at vulgati, « cujus o c. manu. »

1245. *Trahetur ultra St. ubi vires prius In me?* Florentinus et Melisseus : *ubi vires.* Distingue cum Lipsio : « ubi vires prius in me? sepultæ. » Quintilianus, Declamat I, extr. « Ubi nunc meæ vires? ubi impetus? ubi dextra tam fortis? uno ictu, puto, ne me quidem ipsum mihi continget occidere. » *Vires prius in me* scilicet οὖσαι. De hac ellipsi conf. Sanct. Minerv. p. 572, ibique Perizon. Ad *sepultæ* quod adtinet, gemina vox est Milonis Crotoniatæ, qui, quum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse, « At hi quidem jam mortui sunt. » Quod relatum legimus apud Ciceronem, De Senect. § 27.

1246. *Sepultæ.* Possis etiam, ait Gronov., *repertæ.* Vid. Animadv. vs. præced.

1253. *O dirum m.* MSS. 8032, 8261, *o durum malum.*

1256. *Es genita.* Sic recte Ascens. dum in vulgatis legitur *est genita.*

1260. *Es fera.* Pauci male, *efferа es.*

1262. *Ecce, derepta cute.* Flor. *direpta*, significat, quod sæpe cum altero confunditur, etiam apud Senecam, Agam. v. 693, *derepta.* Vulgo quoque legunt *dirupta*, probante quidem Wakef. ad Lucret. VI, v. 538, sed male. Nam lenius est quam pro re; *derepta* convenit verbis Ovidii, Met. VI, v. 387, de Marsya : « Clamanti *cutis* est summos *derepta* per artus, etc. »

1266. *Vultus et.* MS. 8032, *vultus est.*

1267. *Consuetus (Pudet!)* Grut. codices suos hancce lectionem habere dicit, sed præferendam esse hanc Delr. *consuetus pudor.*

1268. *Didicit.* Aliquot MSS. nostri *didici* exhibent.

1271. *Primo, et ante omnes m. Fletum abstulisti.* Botheo non placet lectio *primo* vel *prima* propterea, quod quæ unica sunt, etiam prima esse consentaneum est : atqui dixit : « tibi cessit uni. » Nam quod verbis *ante omnes* offenditur Gronovius, fugit eum ratio. Et is quidem : « prima in ærumnis meis mihi Fletum abstulisti; » Nobis fuisse videtur in autographo : *præmium ante omnes*, etc.; *præmium*, prædam, ut passim apud optimos auctores; *ante omnes*, palam, seu coram omnibus, quod maxime urit Herculem. Infra, hujus dicti oblitus, 1515 :

> Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
> Quod nulla pestis vicit Alciden palam,
> Omnemque pestem vicit Alcides palam. BOTH.

1274. *Rit. meos infr. et lacr. expulit.* Non ita malum est, quod alicubi Delrius invenit, *extudit.* Sed bene etiam Flor. *expulit.* Vulgatum *extulit* quum ferri non posse ipse intelligeret Gron., tamen, ut sexcenta alia ejusmodi, non removit : quamquam dubitabat, an non reponendum esset *exspuit*, quod quidem Comicis relinquendum censeo.—Nec eidem obtem-

peraverim tentanti « Rictus *suos* infregit », quum significanter dictum videatur *meos*, Herculis, gigantum comparandos. Both. — Cf. 1168, 1302, 1759. Infra de se ipsa Alcmene, 1410 : « Vel scelere *pereat*, antequam letum *mihi* Ignavus aliquis mandet. »

1278. *Incaluit ardor.* Heinsius *Invaluit.* Sed alterum imitatione Nasonis dictum. Met. IX, v. 161 : « *Incaluit* vis illa mali. »

1285. *Fletum virtus sæpe resorbet.* Membranæ aliquot, « Fletus victus sæpe resolvit : » in Delrianis, « Fletum luctus sæpe resolvit. » Cum Lipsio suspicatus est legendum Grut. « Fletum virtus ecce resorbet. » Quod minus distat a vulgata.

1289. *Vincitque faces Solis adulti glaciale jubar.* Gron. *S. adusti gl. jubar.* Et addit : « nihil differt Flor. ab omnium aliorum libb. nisi quod *vincitque.* Præterea legendum est *adulti*, ut vidit olim Zinzerlingus. *Glaciale jubar* est splendens nitensque glacies, ut acceperunt omnes. At Grutero nunquam persuadebunt id latine dictum; nec nos unquam de illo dubitavimus. Galeæ *jubar* apud Statium invenitur. »

1295. *Propter me sacr. Mic.* Hanc lectionem vituperat Botheus. « Quæ non admitteretur, ait, deteriore numero : nam vitatur cæsura in pede quinto iambi senarii, ut æquabiliter decurrat versus, nec prope finem fracta ejus vis imminuatur. Quam legem si quando migrant poetæ, necessitate compulsi faciunt; hoc autem loco eleganter rescripseris *me propter*, ut *te propter* apud Virgilium, Æn. IV, 320. Vid. grammatici. » Both.

1302. *Giganta crede : non minus cœlum mihi.* Sic Lipsius; at aliquot MSS. *credo* pro *crede;* alii *ferum* pro *cœlum* dant; male. Grut. *G. c. non m. verum mihi.*

1306. *Prop. m. et occupa hanc laudem tibi.* Sic Flor. at mutandam in hunc modum lect. vellet Both. « Prop. m. hanc occupat laud. t. »

1307. *Detrectat.* MSS. 8032, 8033, 8261, *devitat.* MS. 8036, *retractat.* MS. 8026, *retrahat.*

1311. *Abrumpat.* Aliquot MSS. *abrumpe.*— *Dirus; est frater q.* Sic MSS. Pall. in quibusdam nimis flaccide, *dirus et frat. q.*

1317. *Possum manu.* In quibusdam et sat recte, *possim manu !*

1321. *Et nulla tellus.* Conjunctionem *et* nullam vim habere ait Both. et recte cum Grut. legendum, « *Hei*, nulla tellus. » Sæpe *et* pro *ei*, et contra scriptum, ut facillime quidem potuit fieri hoc loco.

1322. *Irata quidem.* Florentin. *Irata pater.* Conjicit Gronov. *Irata parum*, et explicat : « Non ira illa vehementi, quæ tot horrida et aliis invicta monstra produxit, succensa : quamvis leviter commota, potest me nunc seminecem conficere. »

1329. *Si qua nascentur mala*, *Nascantur ocius : undique.* Rectissime Flor. *si qua nascentur mala*, ubi vulgati : *si q. nascetur fera*, quod parum est. Sequente versu legitur *Nascatur alius.* « Alius, inquiunt, Hercules vindex. » Sed talia si subaudienda sunt, truncemus licet scriptores, dimidiosque salvis sententiis exhibeamus. Flor. *Nascetur odium undique.* Ex

quo elicio : *Nascantur otio*, id est, tarde vel sero. Phædrus, Fab. I, 25 : *Lambe otio.* Plautus, Epid. 614 : *Otio isse admiror :* nam sic ibi legendum clamant MSS. Vel potius sic interpretaberis : Si fieri debet, ut aliqua in posterum quoque nascantur mala, opto ut nascantur ipso otio, id est, pace, quam orbi paravi; cujusmodi mala et serius accidere solent, et fere sunt talia, quibus sine magno periculo medearis. Quod Gronovio in mentem venit, *Nascantur hodie*, ab ipsa sententia ac conditione Herculis abhorret. Both.

1335. *Vindicem vestrum malis Eripite.* « Lipsius, ut priori versui bene consuluerat, hic legebat : *malis Eripite.* Nihil illi de utroque, sed ex priore sumunt occasionem invehendi in Lipsiensem editionem : in posteriori, *Excipite*, eripite ; sæpe enim hoc significat. Hic cessant ingentia commentariorum spatia. Proferant exemplum vel unum. Nemo unquam veterum dixit *excipere malo*, pro liberare et eripere ex eo, quo quis jam premitur. Præterea Flor. plane : *Eripite.* » Gron.

1336. *Pensate.* Ibi, non distinguens Etruscus, usurpato hellenismo, *pensare.*

1339. *Reclinis ecce corde.* MS. 8035, *Reclinis ipse corde.*

1340. *Membra complecti ultima, O nate, liceat.* Both. reponit : « memb. compl. ultimum, O gnate, liceat. »

1342. *Brachia in amplexus cape.* Grot. « brachia *amplexu* cape, » ubi legitur ἀμέτρως in Flor. « brachia *et amplexus;* » in reliquis, ut apud Nos : « brachia *in amplexus.* »

1346. *Herculem sp. q. Mater ; s. u. et v. nec. quid mei.* Cogitabat Gronovius, « Herculis sp. q. Mater, s. u. et v. nescio quid tui. » Et idem tamen recipiebat, ut quidd. *sed umbræ simile nescio quid.*

1351. *Herculis victor quis est ?* In antiquis ait Fabric. *victor Herculis*, quod ipsi quasi nervosius videtur. Ita infra, vs. 1480 : « Ne quis superstes Herculis victor foret. » In nostris autem fere omnibus, *victor Herculeus q. est.*

1355. *At unde*, etc. Both. *et unde;* quemadmodum, Gronovio monente, Maro, Ecl. 1, 27 : « *Et* quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi ? »

1357. *Ubinam ipsa palla est ?* Both. « Ub. *ista* p. e. » et addit : codd. non recte : *Ubinam ista p. est.* Hæc vocabula quavis pagina confunduntur.

1359. *Lerna.* Pro *Lerna* legendum conjecit Both. *Lernæ*, i. e. fera Lernæ, Hydra.

1361. *Bibit.* Both. « Florentini *secat* fuisse initio videtur *siccat*, quod glossema vulgati, *bibit.* »

1367. *Frangit.* Lect. nostram quæ est et Scriverii, Gronovii, Schrœderique improbat Both. legendumque autumat sicut Delr. et alii libb. vett. *franget :* ut hæc vox cum aliis *deficiet*, *arescet*, concordet vocibus.

1373. *Invade, M. non trepida.* Legi vult Dan. Heinsius, *Inv. m. non trepido.*

1374 sq. *Ærum. doma ... indomitum.* Parum placent Botheo simul illata *doma* et *indomitum;* sed, ait, quid faciendum ? An fuit *domi*, te-

cum, quemadmodum *domi aliquid habere* et similia dicuntur μεταφορικῶς?

1376. *Mortemque vince.* Flor. *mortemque differ*, quod debilius vulgato.

1377 sq. *Si me cat.... vol. dapem*, etc. Quid hoc est, aut quænam eæ sunt catenæ, quas *suas* appellet, si loquendi fas adsit, mons Caucasus? legendum, *senis*, Promethei : nam senem, et grandævum quidem, Prometheum viderat liberator Hercules, utpote Ius, æqualis Iapetionidæ, τρίτος γέννων πρὸς δέκα, ut dicit Æsch. Prom. Vinct. 763 : qualis conspicitur etiam in artis antiquæ monumentis. Vid. Montefalc. Antiq. expl. t. 1, Tab. 131. Vel reponendum *feris*, quæ vocabula sæpe mixta docent interpp. ad Ovid. Met. Both.

1378. *Præberet avidæ.* Florent. *aliquæ*, unde Gronovius eleganter conjicit : *aquilæ Caucasus volucri dapem.* Nam, ut ait Pindarus, Nem. III, vs. 139 :

Ἔστι δ' αἰε-
Τὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς,
Ὃς ἔλαβεν αἶψα, τη-
Λόθε μεταμαιόμενος,
Δαφοινὸν ἄγραν ποσίν.

Sed melius nihil mutes, ob similem in Herc. Fur. v. 1207, locum :

Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque *ales avida.* Baden.

1381. *Utraque premerent rupe.* MSS. 8261, 8028, *Utrique premerent rupes.* 8024, 8029, 8036, *Utrumque pr.* 8032, *Utrinque.*

1384. *Excipiens.* Sic vulgo. *Excutiens* magis Both. arridet, « quod est, inquit Gron. exceptum repellens, repercutiens. »

1386. *Toros.* Gronov. citat quosdam legentes *rogos.*

1387. *Degener...... domaret.* « Facile credo, adnotat Both.; nam quomodo id potest? legendum, si quid sentio, *notaret.* Scriptum fuerit *tonaret*, *donaret*, *domaret*? »

1391. *Quidq. fuit.* Sic Ascens. Sunt qui ingerant ut Raph. Gron. etc. *furit.*

1392. *Frequens.* Alii, *fremens.*

1393. *Dirus immittat Sinis.* Legendum *emittat* suspicatur Valckenaer ad Euripid. Hipp. v. 977, quia Sinis, ut ait Ovidius in Ibidem, v. 411 :

Trabes pressas ab humo mittebat in auras.

Sed *artus immittat* recte Gronovium explicuisse puto. Vide not. et vide ipsum ad Senec. III de Ira, cap. 6, et Gifan. Ind. Lucret. in *immissis habenis.*

1397. *Sed dura series operis.* Plerique MSS. *Sed durus serpens op.* 8262, 8032, *Sed dirus serpens op.* exhibent.

1398. *Pavit cruentos fors. morbos labor.* Permulti MSS. et edd. dant : *Favet cruentis f. morbis dolor.* 8035, *Fovetur cr. f. morbis dolor.*

1399 sqq. *Ubi morbus?... agedum, huc.* Flor. « Ubi morbus? ubinam

est desine adhuc aliquid mali In orbe. » Aliquot Delriani et Ascens. « In orbe veniat, veniat huc. » Τὸ *mecum* abest etiam vett. edd. quum ab Ald. discesseris. Hinc Gron. « Ubi morbus, ubinam est? estne adh. al. m. In o.? veniat, veniat huc. Aliquis mihi En tradat arcus; nuda sufficiet manus. Procedat, agedum, huc. » Vel: *Ubi morbus? ubinam pestis? estne aliquid m. Adhuc in orbe? veniat huc*, etc. « Ne quis, inquit, putet nudam manum dici cum arcu, sciendum, primo quidem poscere illum arcus, dein, quasi mutato consilio, et ne exspectato quidem, dum tradantur, dicere: *nuda sufficiet manus.* » Verum hoc postremum, et convenit talis inconstantia viro sui non compoti. Ceterum apparet, nolle sibi ipsum manus adferre Herculem, ne ad id quidem satis virium habentem, sed a morbo vel peste vel monstro (nam id *malum* est), certe ab aliena manu exspectare mortem. Τὸ *adhuc*, quod forte aberraverat, suo loco reposuit vir summus. *Huc*, in me, δεικτικῶς. Both.

1403. *Nimius impulsum dolor.* Lipsius, Grut. et Flor. *impulsans.* Delrius, *nimius impulsu.* Sed in praeced. v. Flor. quoque *sensum*, quemadmodum et Heinsianus. Igitur legendum: « nim. imp. d. »

1405. *Igne suffusæ genæ.* Codices quidam *suffuso.* Minus recte. Silius, XI, 219: « *Suffuderat ora Sanguis*, et a torvo surgebant lumine flammæ. »

1409. *Obire forti meruit.* Gruterus septem Pall. observat habere *meminit;* duos tantum accedere nupere vulgato *meruit;* quod videri etiam damnasse cum MSS. suis Delrium. Si fecit, lapsus est: nam Flor. *meruit*, quæ melior est lectio: nam *meminit* perperam est dictum.

1414. *Gr. anhelum p. impulsu quatit.* MSS. et interpretes: *Gr. anhelo p. impulsum quatit.*

1419. *Proh capax scelerum dies!* Ita Flor. quod conjectura assequutus erat Raphelengius. Plerique omnes libri: « proh capax scelerum *dolor*, » quod et ipsum habet quo se tueatur, si interpreteris cum Grutero ζηλοτυπίαν Dejaniræ.

1424. *Eripuit.* Sic Fern. Cai. Both. quod efficacius vulgato *eripiet.*

1428. *Mis. q. fato sim.* Alii *nato.* Gronovius legendum censet: « Miseræque, *patri* similis. »

1431. *Luctus.* Flor. *luctum.* Mox inepte libri:

> Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo.
> Et inter astra positus evasi genus
> Mortale tandem.

Aliquanto melius Lovaniensis: « . . . *jugo?* At inter, etc. » *At* etiam Ald. *Aut* reliquæ edd. vetustæ, et scriptorum Mog. et Eguian. Cujusvis erat reponere: « . . . jugo, *An* inter, etc. » Dubitat, Trachinemne videat, an in cælum reversus sit. Both.

1438. *Video nitentem.* Vett. *intentam;* unde Lipsius, « Video ne *Tersam.* » Delrius, *micantem* vel *patentem.*

1440. *Cubile video noctis.* Heinsius refingit: *Subitæ quid ecce noctis?*

quia *Cubile noctis* aliquanto dictum sit insolentius. At sic etiam dixit Statius, domum Somni describens, Theb. X, v. 84:

> Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis
> Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro
> Lucus iners.

1442 sq. *Et ab ipsis, pater, Deducit.* « Pal. uni abest particula *ab*; unde Gruterus, si sui esset arbitrii aliquid innovare, fecerit: *ah ipsis, pater;* aut, *hei ipsis.* Remittit illi curam Florent. exhibendo: *Deducit astris.* Gron.

1450. *Quale Amazonium.* Forte *quali.* Sed et *quale* potest accipi pro *qualiter*, notante Gron.

1452. *O clara Megara.* Pro hac lectione, vult recipi Botheus, *O chara Megara.* « Quia, inquit, nihil ad rem Megaræ claritas. Caram olim sibi uxorem opponit ei, quam merito odit, Dejaniræ. Hæc vocabula non raro mixta. »

1459. *Cæci dolores.* Grot. *Cassi dolores.* Cruser. et Cantabrig. *Cæci doloris.* Flor. *Recte dolores.* Both. *Recte dolori est*, et sic explicat: Justa de causa se dolere ait, quod manibus suis elapsa sit venefica.

1464. *Huic aliquid.* Potissima pars Pall. *hinc aliquid;* non male.

1469. *Vitam exspuit.* Magna pars MSS. cum plerisque Pall. *extulit.* MS. 8028 cum Grut. *expulit.*

1472. *Fata se nostra explicant.* Gruterus: « Quoniam negant alii haberi isthæc in suis codd. ne alii deinde ejiciant ceu spuria, sciant exstare in Pall. quinque, nisi quod ibi alio ordine, eamdem lectionem.

1474. *Dederat, et Parn.* MS. 8035, *dederat in Parn.*

1475. *Mugitu nemus.* Heinsius, ut animadvertit Bad. qui *deus*, vel *specus* legendum suspicatur, non meminerit, *nemus* et de una arbore dici, ut in OEdip. v. 542. Alia exempla dat Burm. ad Ovid. Heroid. XV, v. 160.

1477. *Emenso freta.* MSS. 8032, 8034, *emerso freta.*

1484. *Concipiat ignes.* Vulgo legitur *Suscipiat ignis;* sed in Flor. *Concipiat*, et in edd. vetustissimis *ignem*, quod in *ignes* mutandum recte Gruterus censuit, minus recte faciente Gronovio *Concipiat ignis*, hypallage affectata, vel *corripiat;* quo nihil opus.

1489. *Est cl. c. i. in vultu genus regnumque referens.* Vulgatam non improbat Both. Sed antiquissimæ quum habeant edd. *incultum*, Aldus *incultus g. Regumque*, probabiliter emendasse putat Scaligerum, reponentem, per ἓν διὰ δυοῖν:

> Est clara captas inter Œchalias, genus
> Regemque referens.

1492. *Abstuli patriam, lares.* Sic Lips. non ut aliquot libri, *abstuli patrio a lare.*

1497. *Funereos.* Pauci quidam, *funebres.*

1498. *O clara genitrix.* Male, ut arbitratur Botheus. Si per se *clara* est Alcmene, ait, cur gloria sua (nam eo pertinet τὸ *vivit*) consolatur eam Hercules. Immo hic quoque rescribendum *Cara*, ut sup. 1452, *chara* transiit in *clara*.

1500. *Sive nasc. Herc. Nox illa certa est.* Acutissime ad h. l. Both. adnotat : quænam nox? nonne illa, qua cum Alcmene rem habuit Jupiter? quid in eo incerti? Lovaniensis, melius pejus omnia interpretari solitus : « duplicata, inquit, ad me gignendum. » Ergo reponendum videtur : « siv. n. H. Nox bina certa est. »

1509. *Quid tale Juno genuit.* Gron. *Quid t. J. peperit;* et addit : Lipsian. variam lectionem in contextum recepit, expuncto alio vocabulo, ut versui constarent necessarii pedes : « Quid tale genuit, peperit. » Quod ille approbat, meritus amici notum. At Grut. inde suspicatus primo fuisse : « Quid tale Juno genuit : » mutatumque ab eis, qui *gignere* putabant virorum tantum. Rem acu tetigit; sic enim Florentinus.

1513. *Qui vester comes.* Cur *vester* comes, qui unius dicitur, Titanis sive Solis? Hoc si voluisset Tragicus, dedisset *tuus*, quod legitur apud Ascensium, sed numero non ferendo. Reponendum censeo : *dexter* comes, id est, propitius et boni ominis, utpote ἀλεξίκακος et ipsi par Jovi. Both.

1516. *Vicit.* Vulgo *vicit*, inquit, Both. ut seq. versu, expressit Flor. nec tamen ibi probo obtrudentem cum aliis *omnemque pestem*, frequentiore quidem litera mugiente, quum in vett. edd. sit *omnesque pestes*.

1523. *Ferventi quatiuntur axe.* Al. « ferventem patiuntur axem. »

1524. *Q. sub plaustro patiuntur.* « Τὸ *patiuntur*, ait Scalig. repetitum est ex antecedente. Quod quem locum habere hic possit, viderit critice. Nos scimus auctorem scripsisse *pariuntur.* »

1529. *Pallidus mœstas.* Heinsius, probante Burmanno ad t. II, p. 501, Anth. Lat. reponit *squallidus* ex Ovid. Met. II, vs. 381 : « Squallidus interea genitor Phaethontis, et expers Ipse sui decoris. » Ubi tamen nihilo pejus foret *Pallidus*, quum dicat Claudian. XLVIII, vs. 3, de sole deficiente : « .... quæ causa jubet *pallescere* solem. »

1531. *Ubi, quo sub axe.* Palam meliorem scripturam hanc, quæ scilicet est Lips. cod. fatetur Grut. Sed propugnare alterum *ubi, quove, summe* MSS. Pall. omnes. At hoc solum propugnat Florent.

1534. *Si qua sub Lerna*, etc. Gronovius : « Ubi nunc numerus ille codd. inanis, cui singuli scilicet, non sequendi, quamvis optimi, decedere debeant? Muti omnes, quasi in silentum regno. At Flor. ille admirabilis : « quas manus or. m. invocabit, si q. s. L. n. p. sparget in c. r. dracones. » Egregia restitutio et omnibus partibus quum plana tum elegans, etc. »

1536. *Arc. si quis, populi vetusti.* Gron. « Flor. *si quis populis vetustis*, ut illud Virgilii, Ecl. III, vs. 103 (ubi tamen plures *oculus;* sed loqui liceat Botheo) :

Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos. Both.

1540. *Sparget.* Flor. *Pascet*, cui Both. assentitur.

1545. *Immensas.* MS. 8033, *incensas.*

1547. *Femina exsertos feriat.* Itidem D. V. Both. placuit lectio Florentina, « Feminæ exsertos feriant. » Vide Broukh. ad Prop. I, 11, 9.

1559. *Facta discernes.* Gron. *Fata discernes*, etc. et notat: Alios aliter hæc rapuisse in medicinam notat Gruterus: hanc vero esse Pall. meliorum lectionem, nisi quod iis præterea, *Æacosque.* Nimirum Delrius fecerat, *facta discernens.* Melius utique quam isti; nam *Facta discernere*, est distinguere laudanda et punienda: discrimen facere meritorum et scelerum: ut pro iis aut absolvatur reus aut damnetur. At discernere fata quid sit, propemodum nescio. Ipse tamen: judicum est *facta discernere* et pro factis infligere pœnas; quas si *fata* vocari contendis, esto, parum refert. Ne tam festina, vir optime: sane parum refert, si parum refert, Solis an Athenis vivamus. Potes mihi ostendere, quis dixerit *discernere pœnas*, aut *discernere* omnino pro distribuere? Dein Lipsianus, *feriens tyrannos.* Id vel respicere piguit. At sic tamen, parvula admodum differentia, codex optimus: « Facta discernens, feriens tyrannos. » Idem etiam *Æacosque.* Ex quo faciendum: *Æaconque inter.*

1560. *Parcite, o dites.* Mendosum esse proclamat Botheus *dites.* Flor. *o duces*, unde Jac. Gron. in schedis Dietz. quas penes me habeo, *audaces, tyranni*; rectissime; nec quidquam aliud quærendum, quum *au* et *o*, *a* et *u*, passim inter se permutari in MSS. constet. Both. — Heins. major supra scriptum habebat *immites.* Num, « Parcite, elatas inhibete dextras. » Vel, *adductas*, nempe ad cædendum? Gron.

1562. *Minimum procellis.* Flor. *minus in procellis.* Latet aliquid. Quæ sequuntur usque ad finem chori, desiderantur in Florentino. Lectionem Bothei sumus sequuti. In ed. Gronov. ad not. *cruentis* legitur pro *procellis.*

1570. *Recepto Tutus Alcida.* Gron. *recepto Tut. Alcidæ.* « Delrius, inquit, e Mog. notat *recepti*: et sic plerique codd. Gruteri: unde is exterminavit *recepto*, quasi minus erectum. Immo scribendum *recepto Tutus Alcida*, vel *Alcide*, sexto casu. » Et vid. not. ad interpretationem.

1576. *Venient.* MSS. 8030, 8035, 8024, *veniunt.*

1579. *Cedent.* Idem MSS. ut sup. 1576, *cedunt.*

1584. *Descendet.* In aliquot libris legebatur *discedet*; nimis sane rustice. *Descendet* restituit Gruterus.

1590. *Horreat: nulla*, etc. Quidam, et miraberis: « habeat nec aula. »

1592. *Impensum.* Ad hanc lectionem Botheus: « Id est, inquit Gron. *occupatum*, evaginatum et vibratum, *nunquam otiosum. Imago a pecunia.* « At, o bone, quis ita loquutus unquam est? Non adeo affectatum novi Nostrum. Recte Avantii lectionem *intensum* tuetur Scaliger, quemadmodum, ipso monente, *intendere alicui* et *intentare ferrum* dicitur. Noster alibi *intendere spiculum*, *arcus*, *tela*, *dextram*, *manus rigidas*, ut videre licet in indice Schrœderi. Both.

1596. *Alcidæ.* Potior Botheo visa est Fern. et Cai. et plerorumque

codd. lectio *Alciden*, quam vulgata *Alcidæ;* quæ neque Grutero satis placuit.

1599. *Lassus an pondus.* Rectissime Dan. Heinsius : « *lassus* (nam sic vulgati libri) *pondus* pro de *pondere*, vel *pondere designatus*, est plus quam σολοικίζειν. Qui enim menses aliquot hellenismo operam dedit, vel etiam in Latinis usum habet, novit ista, *lassus cervicem, humeros, collum*, quæ tam crebro occurrunt, dici de toto, cujus sunt partes; quæ vero extra sunt, locum in iis habere non posse. Quis ergo dicat, aliquem esse lassum *pondus*, aut *onus*, aut *sarcinam*, quam gestat? Mediocriter, inquam, docti sciunt, intelligi in istis voculam, quæ hoc non admittit, et ad totum refert, quod de parte dicitur. » Quæ nollem impugnanda sibi proposuisse Isacium Pontanum, et tacito quidem suffragatore ipso Gronovio. Nam Delrius verbo tantum probat τὸ *lassus*, dicique existimat *lassus pondus*, ut *captus mentem*, ἀρχαϊκῶς scilicet. Nec tamen propterea in jus vocandus ipse Tragicus, qui vapulat hoc loco, ut aliis non paucis, eruditissimo Danieli; sed recipiendum ex editione Caroli Fernandi *Passus*, quod vel interpretaberis ἀορίστως, quomodo perfecta usurpari nonnumquam Latinis docet Vechnerus Hellenolex. 1, 2, 14, 3, quicum cf. supra 672, Agam. 84, Gron. ad Hipp. 984, Nos ad Troad. 567, et Plauti Stich. 717; vel dictum putabis pro *Patiens* per enallagen, qua in his *Magnum si pectore posset Excussisse deum*, id est, Excutere, usum Virgilium monet Servius. Contra præsens pro Perfecto usurpatum infra est 1884, ubi *nascente* valet *nata*, qui item hellenismus. Vid. ad Herc. Fur. 1182. Both.

1600. *Tremuere Manes.* 8032, *timuerem.* Vix indicandus error.

1603. *Venit.* MS. 8035, *veniet.*

1604. *Humerisque tela.* MSS. quidam *humilisque tela.*

1611. *Ostendit ille, qui sub hoc mundo Hercules.* MSS. omnes fere, *Ost. i. q. s. occasu Hercules.* 8035, *Herculis* pro *Hercules.* Scaliger notat τὸ *ille*, quod antecedit, designare ipsum Herculem : et ideo importune iterari *Hercules*, sed scribendum *Herculis :* et hanc pusillam mendam non parvi momenti. « Verum hæc quidem vox, animadvertit Gronovius, nihil habet vitii : sed longe graviorem totius loci luem detegit. Flor. « Sub hoc mundo Hercules immune vinci linquit en domita omnia. » Scribe igitur : « qui sub hoc mundo Hercules immane nil reliquit, En domita omnia. »

1612. *Immune nil reliquit : en domita omnia.* MSS. omnes, uno excepto 8028, qui *decuit* præbet : *Virtute vinci indomita docuit omnia.*

1614. *Quod unum in orbe vicerat nondum malum.* Misera conditio, ait Gronov. hominum doctorum in corruptis explicandis ingeniosorum. Scaliger fingit sibi raram locutionem, *venire in orbe cum aliquo,* pro pugnare : et investigat rationem, quasi a duobus pugilibus sic dicatur, qui se orbe aut lineis circumscripserint, quas transire non liceat. Somnium merum. Florent. simpliciter, *vicerat nondum.* Ergo *in orbe* puta terrarum. MSS. omnes pro *vicerat* dant *venerant.*

1619 sq. *Huic fagus... flectit hic pinum ferox.* Hæc præteriri arguit Scaliger tanquam obvia, quibus ne Cimmeriæ quidem tenebræ obscuriores. Legit autem : « pinus ferox Astris minantem nube de media comam. » Sed leviore manu, opinatur Gronovius, juvandus locus. Flor. *Hic fagus*, et *Flectit hic*. Lege igitur : *Huic fag. umbras;* deinde *Flectit hic pinum ferox.*

1622. *Cautes.* Flor. *cautem* legit.

1627. *Incussus chalybs.* Sic Flor. Vulgati, *excussus chal.*

1628. *Patitur, et truncum fugit.* Both. legi vult : *patitur frigidus parum;* in quo Gron. reperire sibi videbatur, *ut rigidum parum.*

1630. *Radios locus Admisit omnes.* Heinsius malebat *omnis*. Vulgata confirmatur ex Stat. Theb. IX, vs. 534 :

> .....Getico qualis procumbit in Hæmo
> Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus
> Cælo mixta comas, *ingentemque aera* laxat.

1632. *Nemore succiso diem.* Delrius notat. in Mog. Herb. Ven. esse *domus*, non *diem :* eoque conjicit : *nemore succiso nemus :* et in sequenti versu : *garrulæ pinnis domos.* Gruterus, omnes suos habere, *nemore succiso domus*, idque se recepisse, eraso illo nupero *diem*, ne avorum quidem memoria nato, sed heri. Velle Poetam, primum nidos avium periisse; deinde tantum nemoris excisum, ut jam lassæ ramum nullum invenirent, cui de more insiderent. Sed dissimulat difficultatem, quam necesse est oboriri cuivis diligentius inspicienti hanc lectionem. Quænam enim illic tam frequentes domus, quas pererrarent illæ aves? et quomodo silvestres volucres tam mansuetæ, ut pulsæ sedibus arborum statim se committerent domibus? *Diem* non est ita nuperum, atque ille velit. Sed et elegans est propriumque auctoris pro aere : ut in Phœnissis *atra nube subtexens diem Stymphalis;* et in Herc. Fur. v. 243, *pennis condere obductis diem.* At in altero versu, præsertim quum toties in paucis versibus finem faciat τὸ *nemus*, adsentior prorsus Delrio, scripsisse Poetam : *Quæruntque lassis garrulæ pinnis domos :* hoc est, desiderant suos nidos. Inde vel temeraria vel errans librarii manus in præcedentem versum transtulit, et hunc supplevit adjecto τῷ *nemus*. Gron.

1633. *Domos.* Hanc vocem reposuimus loco suo. Virgil. Georg. II, vs. 209 :

> nemora evertit multos ignava per annos,
> Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
> Eruit : illæ altum nidis petiere relictis.

1636. *Profuit ligno nemus.* Flor. *luco.* Sed ita luci potius quam nemoris vetustas commemoranda fuisset. Lucus enim sanctior pars nemoris. Vid. Burmann. ad Ovid. Met. III, vs. 175, *Priscum nemus* est Senectæ numine sacrum, ut loquitur Statius, Theb. VI, vs. 93, quem cf.—Forte :

« Nullique priscus profuit luco Deus. » Cui scilicet olim dicatus erat.

1638. *Angustum rogum*. Flor. « anguste rogum. »

1639. *Raptura flammas pinus*. Heinsius : *Rapit alta flammas pinus*; et adnotat : « Itane? jam flammas rapit pinus nondum accenso rogo ? Accendetur enim demum rogus Herculeus versu ab hinc centesimo ferme, vs. 1727, ubi Philoctetes, *tremente pinum dextera ardentem impuli*. Adeone sui oblitus est bonus Philoctetes ? Adeone dormitavit optimus Annæus ? Haudquaquam, medius fidius, id crediderim. In Flor. *Rapitura flammas pinus*. Scribendum videlicet, *Raptura flammas pinus*.

1643. *Pectore immugit leo*. MSS. 8035, 8036, 8032 et 8033, *pectoris adjungit leo*.

1647. *Lustravit omnem*. Plerique MSS. *lustr. omnes*; quidam vero *lustravit omnis*; hic autem forsan *omnis* pro *omneis* sumendum.

1648. *Arcumque*. Florent. frustra *arcus*, qui nec juvat sequente versu, ubi habet *dona et munus*, plane ut Fern. et Cai. nam cæteri libri ignorant conjunctionem. Sed quæ (malum!) est hæc ταυτολεξία ? Aliquid infuscatum arbitror, nec nolim legi :

> .... Accipe *hunc*, inquit, sate
> Pœante, *clarum*, et munus Alcidæ cape.

Sæpissime *cl* in *d* mutatum; *u* quoque et *a*, itemque *r* et *n* literæ perquam similes in scriptis. Inde de probabilitate hujus conjecturæ existimari potest. Possis etiam : « Pœante; clarum munus Alcidæ cape, » et hoc malim. Both.

1652. *Virtute felix juvenis, h. nunq. irritas*. Gronov. *Virtute felix : has enim*. « Facile crediderim, ait, Pall. omnes servare pejora. Ego autem multo minus hic requiro *victure* a *vinco*, quam Gruterus non requirit Lipsianum : *Virtute felix juvenis*, *has n. irr*. Quod confirmat Flor. nisi quod *victrice*, et sequenti, *in hostem*. Dicit autem *virtute felicem* Stoicorum more, qui fortuna non fuit felix vel ob Lemnium malum. »

1655. *Et certa prædæ tela de cælo fluent*. MSS. quidam, « Et c. prædam t. d. c. ferent. » Alii, « Et certam prædam t. de c. ferent. »

1662. *Per ignes*. Sic Florentinus et tres alii, merito probante Botheo, quum quatuor unius versus vocabula *m* litera finiantur. Heinsius malebat *peringens*. At magnitudo clavæ satis intelligitur ex verbis : *nulla quem capiet manus*. *Per ignes* explica, dum uror. Lucanus, II, 56 : « ... perdere nomen Si placet Hesperium, Superi, collatus in ignes Plurimus ad terram *per fulmina* decidat æther. » Ubi Burm. vide.

1670. *Vastos ubera in planctus ferit*. Gronov. « Flor. *vasto verbere in planctus furit*. Sed statim ante : *in luctum furens*. Videtur alterutro loco fuisse sive *ruens*, sive *ruit*. » Octav. vs. 364 : « Ruit in miseræ fata parentis. »

1672. *Voce feminea*. Heinsius malebat *funerea*. Sed *feminea* est impatiens, et sic Virg. Æn. XI, 878 : « ... percussæ pectora matres, *Femineum* clamorem ad cæli sidera tollunt. » Ubi Servium vide.

1674. *Comp. lacr. inq. introrsus dolor.* MS. 8033, « Comp. l. inq. Juno cur lætum diem, » omissis pluribus verbis.

1677. *Contine infirmum jecur.* Alii, « cont. firmum jecur » ; alteri, « comprime firmum jecur. »

1685. *Quanta pax obitus tulit?* Referendum ad superiora, tanquam esset « Quis *sic* triumphavit, *sic* gentibus leges dedit, ut Hic obiit? » Minus enim concinna est librorum interpunctio hæc : « Quis sic... Victor? quis... tyrannus? quanta... tulit? » Nec fero Florentini lectionem « q. pax habitum t. » Both.

1691. *Nullasne in a. misit ad sup. pr.* MS. 8024, « Nullane in as. miserat sup. p. » MS. 8033, « aut misit in superos pr. »

1695. *Despiceret.* Aliquot libb. et MSS. *despiciat.*

1697. *Te, te, pater.* Plerique MSS. *iste est pater.*

1702. *Impius.* MSS. *impias* cum Rapheleng. qui adnotat : « nemo neget *impias aras* poeticŵs dici : nemo tamen recte scribi etiam posse, *impius.* »

1704. *Mortis inf. locus.* Heinsius, quia non alia mors quam inferna, suspicatur *noctis* aut *sortis infernæ.* Neutrum est necesse. *Poetis* enim, ut ait Quintilianus, VIII, 6, 40, « satis est ἐπίθετον convenire verbo, cui apponitur : et ita *dentes albi,* et *humida vina* in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. »

1705. *Conterrent.* In Mog. legitur *conturbant,* quod lectius et sonantius quam *conterunt* Botheo videtur.

1711. *Pande tum.* MS. 8035, *pande tu.*

1715. *Hoc postque addidit.* Sic vulg. omnes editi et impressi. Hunc locum ita ordinandum vidit Gronov. secundum Florentinum, qui : « hæc postquam edidit, Flammas poposcit. » Sed male medius ibi versus desiderabatur, quem suo loco reposuit criticus Lugdunensis.

1719. *Num manus pavida impium.* Both. « si ipse impiam putat cædem Hercules, quid miratur abhorrere a scelere Philoctetem ? reponendum ipsa sententia duce : « num manus *pavidæ pium* Scelus *refugiunt?* » *Pium* propter obsequium in amicum. »

1725. *Vocat ecce jam me genitor.* Lipsius, quia in vet. libro *vocat,* etiam parum putavit Jovi decorum hic *rogare.* Reposuit ergo *vocat;* quæ et est lectio nostra, et jam convenientior altera.

1732. *Ingemiscit ignis : o durum jecur!* Lipsius concinnius putat, « ignis : ah durum jecur! » At ille : forte, inquit, difficilius jecur, quam reliqua interna comburitur : nam in Thyeste, vs. 770 : « stridet in verubus jecur. » Egregia ratio cui conveniunt sqq. *ingemiscit,* etc. quia cum difficultate illud urit : vel synecdoche, quod ipsum jecur videtur ingemiscere, stridere et quasi queri. Flor. plane : « Tantum ingemiscit ignis : ô durum jecur! »

1738. *Nunc es parens Herc.* Florent. « Nunc est parens. » Correxit de judicio Gronovii Heinsiique Badenius : « Nunc es parens Herc. » et recte. Meminerimus enim sup. vs. 1673, correptam ab Hercule Alcmenam, quod lacrymaret.

1739. *Sic d. fleri Her.* Repellit Botheus, et dicit : Libri *fleri*. Male. Nam legendum *ferri*, id est, efferri. Ovid. Amor. II, XIV, 39 : « Ipse perit, *ferturque* toro resoluta capillos. » Ubi plura Heinsius.

1742. *Torquens.* Vulgo, *flectens;* alii, *torrens.* Both. reponendum censuit *torquens*, suadente Gronovio.

1749. *Minima q. flamm. occup.* Scripsimus *minima* de virorum doctorum judicio, quamvis vulg. et impressi *nimia* exhibeant.

1752. *Ast illi graves Luxere barbæ.* Heinsius legendum suspicatur : « ast illi trabes Luxere ab ora, » vel *in orbem.* Sed hærebat in epitheto. *Graves barbæ* sunt verendæ. Antipater Sidonius, Epigr. XL, vs. 3 :

κόμαν Ἡρακλέους
Σεμνάν θ' ὑπήναν.

Apud Lucianum Cynicus, in Dialogo sic inscripto, de Hercule Theseoque loquens, c. 14 : τὸν πώγωνα κόσμον ἀνδρὸς ἐνόμιζον, ὥσπερ καὶ ἵππων χαίτην, καὶ λεόντων γένεια, οἷς ὁ θεὸς ἀγλαΐας καὶ κόσμου χάριν προσέθηκέ τινα· οὑτωσὶ δὲ καὶ τοῖς ἀνδράσι τὸν πώγωνα προσέθηκεν. Plin. Epist. I, x, 6, de Euphrate Philosopho : « Proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba : quæ licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum *venerationis* acquirunt. » (Ed. nost. vol. I, pag. 28.) I nunc, de lana caprina dic agi, quum de barba Herculis agitur !

1753. *Vultum minax.* Quidam MSS. *vultu minax.*

1754. *Appeteret ignis.* MSS. *Appeteret ignes* et *appeterent ignes* dant.

1757. *Cineremque jactans.* Both. Recte, qui hoc ferendum negant. Corruptum *jactans*, et sufficiendum haud dubie in ejus locum *tractans.* Nec pejus sit « cinerem *retractans*, » ut iterum iterumque tractasse cinerem filii intelligamus matrem, et oculorum aciem eo defigentem, et mentem totam.

1761. *Cepit.* Both. cum Flor. *heu me, recipit.* Nos *cepit*, quæ vulgata est lectio, servavimus.

1768. *Rursumque.* MSS. et edd. fere omnes *rursusque.*

1769. *Solus? mundus impositus tuas.* MSS. *Solus? ignis imp. t.* 8024, 8029, *solus ignis imp. t.*

1772. *Pulsabis? aut quas mat.* etc. Vulgo : *ah! quas mater*, etc. Florent. *aut* non *ah.* Sequimur Gronovium, ita scribentem : « Pulsabis? *aut* quas mater ad fauces agar, Qua mors aditur? »

1777. *Quis me parentem n. Alcmenam suam.* Flor. *Alcmenem.* Conjecit Gron. « Quisnam p. gnatus Alcmenen suam. »

1788. *Fervidæ.* Sic Florent. Alii, minus bene, *perfidæ.*

1789. *Ismarios.* Sic Gron. at Flor. *Ismarius*, et recte, ait Both.

1792. *Totus uretur dolor.* Gron. « Corruptum, inquit, omnino, et corrigendum, priusquam explicandum. Forte : *notus uretur dolor*, nempe Junonis. » Mihi non sic videtur, sed, usurpata figura minime insolita,

dolorem totum interpretor *doloris causam totam*, Herculem et universum ejus genus, in primis Alcmenen, quam excruciabit dea iratissima. Sic *pudorem* Ovidius Minotaurum Met. VIII, 157, et similia passim alii dixerunt, in his Statius Theb. I, 47. Both.

1794. *Pellex sup. supplicia d. q. exigat.* Versus peccans in accentu vocabuli *supplicia*; qualem versum in toto Seneca non invenias: nam qui similis adhuc legebatur Med. 267, probabiliter, ut opinor, emendatus a nobis est. Fern. et Caiet. *P. s. de qua supp. e.* Flor. *expetat.* Legendum censeo: « Pellex supersum: digna supplicia expetat, » digna uxore, digna pellice. Similia *digna* et *dequa*. Sequente versu recte Gron. *Si parere possem.* Both.

1797. *Utero timendo.* Alii, « uterum timendum. »

1798. *Locus.* Nemini placeat *locus*, ubi *loca* est in proximis. Reponam: *Quis me focus.* Horatio, Epist. I, 14:

> Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
> Quem tu fastidis, habitatum quinque *focis*, etc.

Ubi vetus scholiastes: *Focis, domibus.* Et sic passim *lares*, quorum sedes in focis. Both.

1800. *Laresque miseros.* Heinsius malebat *seros*, vel *avitos*. Neutrum opus est: *miseros* Alcmena lares vocat ob miseranda parentis sui fata, de quibus cf. Hesiod. Scut. Herc. v. 11.

1801. *Marita Thebas regna et Ismenon petam.* Sic Heins. ad Ovid. Her. XIV, 19, quum in Flor. invenisset, *Marita Thebæ regna Ismenon petam*, optime correxit vulgatam scripturam: « Orbata Thebas regnum et Ismenum petam. ».

1806. *Exsectus.* Conjecit legendum Gron. *exemptus*, ubi *exceptus* Flor. et ceteri *exsectus*. « *Exemptus*, inquit, ut Bacchus Semeles: nam ad hujus nativitatem alludit. »

1807. *Nunc dat. est miseræ, datum.* Flor. *nunc datum est tempus, datum*, quod fuit haud dubie, *Nunc datum in* (vel *ad*) *tempus*.

1808. *Ut hoc daretur.* Idem codex, *Ut et hoc daretur;* quum vulgatum *Et hoc daretur*, mutatum a Grut. esset in *Ut hoc d.* Recte etiam suasit idem *quid fatum* pro, *quod fatum*.

1812. *Meritisque terram.* Nihil est opus Dan. Heinsii conjectura: *meritisque Lernam nobilem.* Nam hic generatim de factis filii loquitur Alcmene.

1817. *Defendat.* Fortius est quod vult Gron. *defendet.*

1821. *Ubi enim negata est?* Gron. *Ubi enim negata?* et addit: « quum sic ederetur, Lipsium hic notasse reperio: Illustriora hæc facio: *Ubi negata est*, sine interrogatione et vocula addita e libro. Sensus: Hic Thraciæ universæ pax est data, postquam Diomedi uni negata est: quem interemit. Additam vocem non aliam intelligo quam *Est.* Delrius tamen referens quasi conjecturam (quæ mihi videtur esse libri veteris scriptura) Lipsii vulgato acutiorem ponit: *Ubi ei negata est*, quod et in

notis Lipsii postea editis expresserunt. At ego ex scriptura codicis aliquid etiam recidendum censeo, et significari : « Hic pax cruento rege prostrato data est, uni negata : » nempe cruento illi regi Diomedi. Multo quidem hoc rotundius. Propemodum etiam suspicor et veterem et Lipsii manum *uni* dedisse ; *ubi* autem errato operarum editionis primæ deberi. »

1826. *Quis tumulus sat est?* Leviter adblanditur Grutero, quod est in uno MS. *quos titulus sat est?* ut prorsus placeat, in seq. versum rejiciendum suadet cum Flor. Gronovius : « quis tumulus sat est? hic totus orbis : fama erit titulus tibi. »

1828. *Herculis cin. tenes.* Sic Flor. et aliquot Pall. Alii, *tene.*

1829. *Complectere..... Erunt satis præsidia.* Correxit Gronov. « *Complectar* ossa : reliquiæ auxilium dabunt. Erunt *sat hæc* præsidia. »

1831. *Debitos nato quidem.* MS. 8035, et sane vitiose, *debitos natos q.*

1833. *Nec gravi.* MS. 8032, *aut gravi.*

1837 sqq. *Vindicem amisi parens ... Oceanum rota.* Codex Etruscus : « vindice amisso p. Terra atque Pelagus quæque ; » dein, *Oceano.* « De *parente* nugæ, adnotat acutissime, ut solet, Both. si quidem hic mortalis in genere personam fert Alcmene, vicem orbis terrarum deflet, quem malis monstrisque liberavit, et diei, id est, solis et siderum ipsiusque cæli quod pro Atlante sustinuit. Vide sup. ad 1513, infra 1905 et sqq. Parentis partes mulier demum agit insequentibus. Hic igitur legendum :

> Vindicem *amisit patens*
> Terra atque pelagus, quique purpureus dies
> Utrumque clara spectat Oceanum rota. »

1840. *Natos parens.* MSS. 8032, 8035, *nato parens.*

1842. *Matres gerit.* MS. 8032, 8033, *mater gerit.*

1849. *Deflevit aliqua mater, et toto stetit.* Ut non latine dictam, respuit hanc lectionem Gron. proponitque « Diriguit aliqua mater, ut toto. » Nam, ait, postquam omnem stirpem perdidit, et quatuordecim liberos una deplanxit, defixa est in saxum.

1853. *Dabo.* In MSS. promiscue legitur *dabis*, vel *dabit.*

1858. *Et una.* Gron. suadet, *at una.* Probabilior Both. videtur hæc lectio, nam hæ voculæ sæpe confunduntur.

1860. *Jam quæret orbis?* Cum Gronovio reponendum mallet Both. *anquiret orbis*, quum prægresso *brevi* locum *jam* non videatur habere posse.

1862. *In planctum genus.* Offenditur Both. verbis *in planctum*, propterea quod altero abhinc versu legitur simile *in planctus.* An fuit, ait, *advoca implicitum genus?* Facile autem *ipl̄icitu* degeneraverit in *ipl̄actu.*

1874. *Magno tellus Cara Tonanti.* Ita Flor. nec quidquam melius desiderandum. Vulgo, « *nec* magno tellus *clara Tonante.* »

1884. *Nondum Phœbo nasc. genus.* Both. *nond. Phœbe nasc. genus.* Pessime adhuc edd. *Phœbo* proferre existimat : quod dudum est quum emen-

davit Dau. Heinsius, qui τοὺς προσελήνους Arcadas intelligit. Cujus nominis veram causam atque originem in Tegeatum Rep. Aristoteles reddebat, qui Græcularum nugarum severus castigator fuit.

1887. *Poscite magno Alciden gemitu.* Flor. *magno Alciden poscite gemitu.* Mutatis verbis tantum, quod levis est momenti.

1888. *Agris.* Sic Flor. at quidam libb. cum Gronovio *oris.*

1890. *Totum pennis velata diem.* Vir summus, additus poetæ: « Sæpe, inquit, nullo judicio archaismos affectavit, quos non intellexit. Virgilius dixerat *bellantur*, mutata sola terminatione κατὰ τὸ ἀρχαϊκώτερον, sicut *affector, lacrymor, assentior.* Ille *velor* putavit eadem ratione ferri posse. Dicam *velari noctem* more Græcorum, sed non isto sensu, ut κεκαλυμμένος νύκτα. Sed *velari diem*, καλύπτειν τὴν ἡμέραν, quis ferat? » Fateor; sed hanc manum Senecæ esse nego, legamque potius levi mutatione: *Cujus penna est velata dies.* Both.

1894. *Sithoniæ.* Flor. *Bistoniæ.*

1897. *Nascitur.* Primus emendavit Lipsius *nascitur*, confirmatque eam unus e Palatinis; alluditque alter, in quo *nescitur*: sunt etiam qui habeant *vescitur*: et prodidit Raphelengius primam illam scripturam reperiri item in cod. Orteliano.

1898. *Nec vestra.* MSS. 8030, 8261, *nec nostra.*

1900. *Et rapta.* Conjicit Heinsius *pasta.*

1905. *Cervice.* MS. 8035, *cernite.*

1908. *Spiravit.* Flor. *stravit.* Numquid *strigavit*, ait Gronovius: id est, interquievit?

1909. *Arces.* Plerique MSS. *aures.*

1918. *Ad q. p. Natura vocat.* Heinsius, probante Burm. ad Anth. Lat. tom. II, p. 40, emendat: *ad quod p. navita. vectat.* Sed nihil opus est.

1922. *Fata morantur.* Sic maxima pars Pall. non *monstra mor.*, ut in aliquot libris.

1927. *Sub undis.* MSS. plerique *sub undas*, ut notat Commel.

1930. *Vesana parens.* Flor. *Ves. furens.*

1933. *Pellis contecta ... operit.* Parum placent simul posita *contecta* et *operit.* An fuit *contacta?* Ceterum versus hos anapæsticos passim aliter digessi atque in vulgatis edd. leguntur. Both.

1939. *Ad q. s. mans. eris.* Heins. malit *eas*, pro *eris.*

1944. *Und. sonus trepidas aures.* MSS. 8261, 8032, 8033, *Unde sonus trepidus aures.*

1948. *Mors horrida.* MS. 8035, *mors horrenda.*

1949. *Rursus.* Dedit *rursum* Both. frequentiore in h. v. sibilo offensus. — *Noctis.* Flor. *mortis.*

1957 sqq. *Impositum silvis, quum plurimus .... umbras loca.* Gronovio videntur hi versus ita legendi:

Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, quum plurimus

In cælum fureret flammæ metus.
Arsisti: cur te, cur, ultima
Non tenuere tuas umbras loca?

1962. *Umbra quoque est.* Gronovius malit *es.* Vulgatam tuetur locus Troad. vs. 683:

Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est.

1964. *Non puppis umbras furva.* Vetus codex, monente Heinsio ad Ov. Met. III, v. 273, *fulva* habet. Sed male. *Furva* est, quam κυανέην vocat Leonidas Tarentinus, Epigr. LIX, v. 2:

τοῦτ' Ἀχέροντος
Ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ.

1967. *Ignis evictus tulit.* Heinsius malebat *evictum.* Sed Florentini codicis lectionem optime confirmat Propertius, IV, 7, 2: « Sunt aliquid manes: letum non omnia finit. Luridaque *evictos* effugit umbra *rogos.* » Alii, *ignis injectus;* Grotius, *ingestus,* vel *invitus* adscripserat.

1969 sq. *Proinde planctus pone ... turpes eat.* Grut. *proind.... turpe eas,* et adnotat: « nihil horum agnoscit scholiastes Palatinus, nihil membranæ duæ. In tertio habentur, sed additum margini *vacant:* quartus solum agnoscit, *Proinde planctus pone. Virtus in astra,* etc. quod probarim. Reliquis adsunt ea forma qua posui. Habebat tamen tertius ille *eat* pro *eas.* Editio Parisina, annorum nonaginta, præfert:

Proinde planctus pone: quo gnate paris,
Genitrix in ortu: luctus in turpes eat.

Conjiciebam puer, « pro gnato patris, Genitrix, inertis luctus in turpes eat. »

1974. *Transcendes caput.* MSS. 8033, 8036, 8026, *transcendens.*

1976. *Inferna vici.* MSS. fere omnes, *inferna vito.* Quidam, fide digniores, *inferna vinco.*

1980. *Et t. m. æternus t.* Non adsentiendum Heinsio rescribenti *mundus ætherius.* Cicero de Nat. Deor. III, 16, « non video, quo pacto ille, cui in monte Œtæo illatæ lampades fuerint, ut ait Accius, in domum æternam patris ex illo ardore pervenerit. » Seneca Consolat. ad Marc. 25: « In æterna rerum per vasta et libera spatia dimissos. » Ibid. 26: « Nos quoque felices animæ, et æterna sortitæ. »

1981. *Credo triumphis.* Gron. *credo, triumphas.* « Quare ineptum dicit Scaliger, observat vir ille doctus, quod prius legebatur: *credo triumphis?* Nempe quia et Lipsius prorsus κακοζήλως conjecit: *io triumphe.* Nimis properarunt. Credo, inquit, victoriis tuis et maximis rebus gestis: illæ enim jamdudum cælo te dignum omnibus persuaserunt. Nam ipsa sibi num credere debeat, dubitat. »

1990. *Orbisque.* MS. 8029, *orbique.* — *Pacator.* 8032, 8033, *placator.*

1995. *Fortius.* MSS. 8031, 8037, 8262, 8033, *Fortior.*

OCTAVIA.

DRAMATIS PERSONAE.

OCTAVIA.
NERO.
AGRIPPINA.
POPPÆA.
SENECA.
NUTRIX OCTAVIÆ.
NUTRIX POPPÆÆ.
PRÆFECTUS.
NUNTIUS.
CHORUS ROMANORUM.

ARGUMENTUM.

Claudius Drusus Cæsar, postquam Messalinam, quæ illi Britannicum et Octaviam pepererat, quod Silio nupsisset, mori jussisset, Agrippinam filiam fratris sui Germanici, viduam Cn. Dom. Ænobarbi Neronis superinduxit; cujus filio Neroni Octaviam suam in matrimonium dedit. Claudio et Britannico veneno sublatis, Nero Imp. Octaviam, quam oderat, repudiat; Poppæam Sabinam ducit. Cujus divortii causa commotum et tumultuantem populum multa cæde Nero reprimit, et Octaviam in Pandatariam ablegatam interfici jubet.

Scena est Romæ.

ADSCRIPTA

L. ANNÆO SENECÆ

OCTAVIA*.

ACTUS PRIMUS.

OCTAVIA.

Jam vaga cælo sidera fulgens
Aurora fugat : surgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Age, tot tantis onerata malis,
Repete assuetos jam tibi questus,
Atque æquoreas vince Alcyonas;
Vince et volucres Pandionias :
Gravior namque his fortuna tua est.

* *Octavia.* Vid. ad calcem fabulæ quid pertineat ad verum hujusce dramatis auctorem, quem noluimus omnino Senecam nominare.

Act. I, sc. 1. Vitæ pertæsa, miserias suas deflet Octavia.

5. *Age.* Se ipsam alloquitur infelix Octavia. — *Tot tantis.* Hic, si hiatus est, veteribus placuit. Liv. lib. V, 5, n. 7 : « Videte quot res quam inutiles sequantur illam viam consilii. » Et lib. XXI, 9 : « Tot tam efferatas gentes. »

7. *Alcyonas.* Aves illas in quas mutati sunt Ceyx, rex Trachinis, in Ægæo submersus, et ejus uxor Alcyone, Neptuni filia : quibus avibus nidificantibus, mare pacatur, quod tempus *Alcedonia* dicitur. Agam. 680; et Ovid. Met. XI, 544 sqq.

8. *Volucres Pandionias.* Lusciniam et hirundinem, in quas mutatæ Procne et Philomela, Pandionis regis Athenarum filiæ. Agam. vs. 670, 673. Ovid. Metam. VI, 667, et seqq. Pont. I, 3, 39.

Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus
Natæ exaudi, si quis remanet
Sensus in umbris. Utinam ante manu
Grandæva sua mea rupisset
Stamina Clotho, tua quam mœrens
Vulnera vidi,
Oraque fœdo sparsa cruore!
O lux semper funesta mihi!
Tempore ab illo nox est tenebris
Invisa magis.
Tulimus sævæ jussa novercæ,
Hostilem animum, vultusque truces.
Illa, illa meis tristis Erinnys

10. *Genitrix.* Valeria Messalina; quam, quum super cætera dedecora etiam Claudius C. Silio nupsisse comperisset, supplicio affecit. — *Deflenda.* Dedecore tuo, vel morte, propter sqq.

13. *Si quis.* Poetis hoc familiare, ut simulacris hisce apud inferos maneant memoria et affectus; et jam indicandi locum habuimus supra. — Quod tales sententiæ occurrant apud oratores, philosophos, historicos, tum Græciæ, tum Romæ, non inde colligendum, dubitasse eos de immortalitate animi; sed de ea quam mortui inibant, post secluso a corpore animum, cum rebus et affectibus hujusce orbis communitate. Ex evocatis umbris, et rite litatis manibus apparet religiosissimum quemque credidisse non mortuorum animas curam omnem amittere; quod etiam e dogmate immortalis animi derivare videtur.

15. *Grandæva*, etc. Vid. Anim. — *Mea.* Vitæ meæ abscidisset telam Parca. Herc. Fur. vs. 559.

16. *Tua quam.* Claudius Valeriam Messalinam, repudiatis Urgulanilla et Ælia Pætina, uxorem duxit: insatiatæ libidinis mulier; quam interficiendam jussit conjux, de causa quam retulimus et in argumento, et sup. not. 10. Illa autem quum timide et frustra ferrum pectori et jugulo admovisset, a tribuno tandem confossa interiit. Farn.

19. *Lux.* Dies.

20. *Tempore*, etc. Vid. Animadv.

22. *Novercæ.* Agrippinæ: hæc mortua Messalina, Claudio patruo suo nupsit.

24. *Tristis Erinnys.* Nuptiis infausti exitus Furiæ statuuntur auspices et pronubæ. « Nam mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erin-

Thalamis Stygios prætulit ignes:
Teque exstinxit, miserande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum, cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus nostris ante ignoti,
Jurisque sui.
Conjugis, heu me! pater insidiis
Oppresse jaces; servitque domus
Cum prole tua capta tyranno!

NUTRIX OCTAVIÆ.

Fulgore primo captus, et fragili bono
Fallacis aulæ quisquis attonitus stupet,
Subito labantis ecce Fortunæ impetu
Modo præpotentem cernat eversam domum
Stirpemque Claudii, cujus imperio fuit
Subjectus orbis, paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates.
En qui Britannis primus imposuit jugum,
Ignota et ante classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit,

nys Prætulit infaustas sanguinolenta faces.» Ovid. Epist. VI, vs. 45.

26. *Exstinxit.* Boleto venenato Claudium Agrippina sustulit. — *Pater*, T. Claudius.

30. *Ducibus.* Noti et quidem tentati Julio Cæsari, ut et Augusto, sed non subacti.

32. *Conjugis.* Tuæ, Agrippinæ. Sup. vs. 22.

34. *Tyranno.* Neroni.

Act. I, sc. II. Nutrix, propter alumnæ suæ Octaviæ calamitatem, sublimis et aulicæ vitæ conditionem exsecratur.

35. *Fragili.* Vid. Animadv.

37. *Subito.* Junge cum *labantis*.

38. *Modo... cernat.* Velit tantummodo cernere.

40. *Liber diu.* Populi Britanniæ diu liberi.

42. *En qui Britannis.* Vid. Anim.

43. *Ignota et ante*, etc. Vid. Animadv.

Et sæva maria; conjugis scelere occidit,
Mox illa nati; cujus exstinctus jacet
Frater venenis : mœret infelix soror,
Eademque conjux : nec graves luctus valet
Ira coacta tegere : crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari
Ardens mariti, mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasque frustra : mutat immitis dolor
Consilia nostra : nec regi mentis potest
Generosus ardor, sed malis vires capit.
Heu, quam nefandum prospicit noster timor
Scelus : quod utinam numen avertat Deûm!

OCTAVIA, NUTRIX.

OCT. O mea nullis æquanda malis
Fortuna! licet repetam luctus,
Electra, tuos : tibi mœrenti
Cæsum licuit flere parentem;
Scelus ulcisci vindice fratre,

46. *Nati.* Neronis. Inf. vs. 305.

47. *Cujus frater.* Britannicus frater Octaviæ uterinus; Neronis, per adoptionem Claudii : quem Nero, ut imperium solus et sine æmulo obtineret, Locustæ venefîcæ opera sustulit.

48. *Ead. conjux.* Octavia, quam duxerat adoptatus a Claudio Nero.

49. *Cr. viri,* etc. Maritum aversata, non sustinet sola cum illo esse.

50. *Odio pari.* Octavia Neronem haud minus odit, quam ipsam Nero. Ad h. l. vid. Animadv.

52. *Ardens mariti, mutua face.* Odio pariter, similiter ardente. Horat. III, od. 9, 13, longe præstat.

53. *Mutat dolor.* Id est, abjicit, repudiat Octaviæ dolor.

Act. I, sc. III. Lugentem Octaviam nutrix consolatur, et a vindicta, quam cogitat, dehortatur.— Explicabit autem, si quis poterit, quonam scenæ artificio prodierit *sola* nutrix Octaviæ, hac non recedente, ut saltem apparet; et quomodo rursus Octavia redierit.

59. *Licet,* quamvis. Et supple, post *tuos :* experior meam sortem tua infeliciorem. Vide Sophoclem.

Tua quem pietas hosti rapuit,
Texitque fides : me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratrisque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi,
Totque malorum breve solamen.
Nunc in luctus servata meos,
Magni resto nominis umbra.
NUTR. Vox, heu ! nostras perculit aures
Tristis alumnæ.
Cessas thalamis inferre gradus,
Tarda senectus? OCT. Excipe nostras
Lacrimas, nutrix, testis nostri
Fida doloris. NUTR. Quis te tantis
Solvet curis, miseranda, dies?
OCT. Qui me Stygias mittet ad umbras.
NUTR. Omina, quæso, sint ista procul.
OCT. Non vota meos tua nunc casus,
Sed fata regunt. NUTR. Dabit afflictæ

63. *Hosti rapuit*, matri et Ægistho. Vid. Agam. 931.

65. *Prohibet Lugere timor.* Acerbum hoc et crudele Cic. in Pison. 18 : « Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret ? Mœrorem relinquis : mœroris aufers insignia : eripis lacrimas, non consolando, sed minando. »

69. *Breve solamen.* Quo non diu mihi datum est frui.

70. *In luctus servata meos*, id est, proprios, non, ut antea, cum fratre communicatos. Nam, ut ait Claudianus, XXXVI, vs. 197 : « levius communia tangunt. » In eamdem sententiam loquitur Seneca, Troad. vs. 1011 : « Lentius luctus lacrimæque mordent, Turba quas fletu simili frequentat. » Et Agamemnone, vs. 664 : « Lacrimas lacrimis miscere juvat, Magis exurunt, quos secretæ Lacerant curæ. »

71. *Magni resto nominis umbra.* Lucan. Phars. I, 135, de Pompeio, « stat magni nominis umbra. »

75. *Tarda senectus?* Mea ; id est, cur, ego senio tarda, cesso thalamos Octaviæ ingredi. — *Excipe*, sinu tuo.

79. *Qui me*, dies sc. ille quo moriar.

80. *Ista.* Quæ tu nunc profers.

Meliora Deus tempora mitis.
Tu modo blando vince obsequio
Placata virum. OCT. Vincam sævos
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam sævi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit Superos hominesque simul,
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens : licet ingratum
Diræ pudeat munere matris
Hoc imperium cepisse; licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum post fata tamen
Femina longo semper in ævo.
NUTR. Animi retine verba furentis;
Temere emissam comprime vocem.
OCT. Toleranda quamvis patiar, haud unquam queant,

86. *Ante leones.* Hæc de Nerone ejusque immani sævitia Octavia, leonibus ipsum et tigribus comparans; quemadmodum et Divus Paulus ad Timoth. II, cap. 4, vs. 17, de eodem Nerone loquens, « liberatum se, ait, de ore leonis. » Facit huc vel maxime, insignis ex veteri schol. Juvenalis locus, ubi inter alia, ad Sat.V, 147, ita habet: « Seneca ab Agrippina erudiendo Neroni in palatium adductus, sævum immanemque natum et sensit cito et mitigavit. Inter familiares tamen solitus dicere : Non fore sævo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sævitia. » PONTAN.

88. *Odit genitos sanguine claro.* Ad modum Dionysii tyranni, de quo Eubulus : Τούτους δ' ἡγεῖται μόνους ἐλευθέρους, κἂν δοῦλος ᾖ τις.

89. *Spernit*, etc. Vid. Animadv.

90. *Nec fortunam capit*, etc. Secunda fortuna ebrius et elatus, sibi temperare non potest, nec se intra officii fines continere.

91. *Scelus.* Cædem Claudii. Sup. v. 45.

95. *Licet.* Licet matrem Agrippinam, cujus maleficiis imperium adeptus est, mori jusserit. Inf. vs. 305.

96. *Titulum.* Honorem (si ita loqui fas est) parti filio imperii : quod per matris suæ scelus imperat Nero.

97. *Femina.* Illius mater.

100. *Toleranda quamvis patiar*, id

Nisi morte tristi, nostra finiri mala.
Genitrice cæsa, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis, luctu obruta,
Mœrore pressa, conjugi invisa, ac meæ
Subjecta famulæ, luce non grata fruor;
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris: absit crimen a fatis meis;
Mori juvabit: pœna nam gravior nece est,
Videre tumidos et truces miseræ mihi
Vultus tyranni, jungere atque hosti oscula,
Timere nutus; cujus obsequium meus
Haud ferre posset, fata post fratris, dolor,
Scelere interemti; cujus imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quam sæpe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra quum solvit quies,

est, ærumnas mihi tolerandas etiam quum patienter ferrem, blandoque virum obsequio vincere studerem, juxta præceptum Nutricis, vs. 84. Sic Octaviæ persona vult servari, quæ, prodente Tacito, Ann. XIII, cap. 16: « quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat. » Vid. cæterum Animadv.

101. *Morte tristi.* Id est, amara, acerba.

105. *Famulæ.* Sic per invidiam Octavia appellat Poppæam, sibi reginæ subditam. Poppæa Sabina, matre ejusdem nominis nata, nupsit Neroni die duodecimo post divortium Octaviæ. Inf. vs. 719.

107. *Absit crimen.* « Nullum neci meæ prætexatur crimen. » Quam tamen adulterii crimine postea adeo impudenter insimulavit Nero, ut, omnibus in quæstione negantibus, Anicetus eam a se dolo stupratam fateretur. Quin et adulterii cum Alexandrino tibicine et abacti partus falso criminabatur.

114. *Morte.* Imperii sorte, et parte quæ ipsi ex morte Britannici obtigerat.

115. *Umbra.* Homicidæ, scelerum suorum conscientia territi, opinioni de Furiis et occisorum umbris sceleratos persequentibus viam fecerunt.

116. *Membra quum solvit quies.* Membrorum enim compages somno solvuntur, auctore Paullo Ægineta, lib. I, c. 97. Homer. Odyss. Σ, 188: Εὗδε δ' ἀνακλινθεῖσα, λύθεν δέ οἱ ἅψεα πάντα: quare ab eodem somnus vocatur λυσιμελὴς, quemadmodum ab Apollonio Argon. IV, et Orpheo in Hymnis. Delr.

Et fessa fletu lumina oppressit sopor!
Modo facibus atris armat infirmas manus;
Oculosque et ora fratris infestus petit:
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos.
Persequitur hostis, atque inhærenti mihi
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus et metus miseræ mihi.
Adice his superbam pellicem, nostræ domus
Spoliis nitentem; cujus in munus suam
Stygiæ parentem natus imposuit rati,
Quam dira post naufragia, superato mari,
Ferro interemit, sævior pelagi fretis.
Quæ spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis:
Odioque nostri flagrat, et pretium stupri
Justæ maritum conjugis captat caput.

118. *Manus*, suas. — *Fratris*. Neronis.

122. *Viol. ensem*, etc. Celeriter agere videtur ensem in latus meum, dum petit Neronem, mihi inhærentem ut se tueatur. — Non alucinatur hic Farnabius, qui hæc ad Britannici umbram referat, quæ Neronem in thalamos Octaviæ refugientem infesta persequatur. Posses alioquin intelligere de Nerone ipso, vicissim se a Britannici furiis defendente, eique per latus uxoris Octaviæ ferrum adigente. Posses, inquam, si quidem, ut veneno interemtum Britannicum, sic ferro et aperta vi petitum a Nerone eumdem unquam fuisse constaret.

125. *Nostræ domus*. Augustæ, imperialis.

126. *Cujus in munus*. Cui ut placeret.

127. *Stygiæ*. Solutili, cujus laxatæ naufragio periret, et ad Stygias ripas descenderet. Inf. vs. 311.

129. *Ferro*. Inf. vs. 358. — *Fretis*, quæ illi pepercerant.

130. *Nefas*. Matris suæ cædem.

133. *Justæ maritum conjugis*. A Nerone pro præmio poscit meam necem, quæ justa ipsius uxor sum. Claudius enim Octaviam Neroni, quem adoptaverat, in matrimonium traditurus, ne soror fratri nuberet (nam sororem, ne adoptivam quidem, durante adoptione, ducere leges sinebant), eam prius alteri in adoptionem dedit; ut, eo modo in alienam familiam transiens, juste Neroni nuberet. Erat

Emergere umbris, et fer auxilium tuæ
Natæ invocanti, genitor; aut Stygios sinus
Tellure rupta pande, quo præceps ferar.
NUTR. Frustra parentis invocas manes tui,
Miseranda, frustra, nulla cui prolis suæ
Manet inter umbras cura, qui nato suo
Præferre potuit sanguine alieno satum,
Genitamque fratris conjugem captus sibi
Toris nefandis flebili junxit face.

ergo Octavia justa Neronis uxor: quid vero inter justam et injustam uxorem intersit, docet Rævardus, De juris ambiguitatibus, lib. IV, c. 16. DELR. — *Caput maritum*, caput maritale uxoris legitimæ: est epexègesis *caput maritum*, *stupri pretium*: quomodo apud Propertium, « conjugis obscœni pretium Romana poposcit Mœnia. » Noster ipse, post vs. 601: « Funesta merces puppis, et pretium imperii Nox illa. » Nihil familiarius poetis: de quo Heins. Advers. II, 14.

134. *Umbris*. Vide var. lectt.— *Emergere*. Imperativo, emerge te. Sic apud Senecam, Hippol. vs. 1200: « condere Acherontis plagis. » Pro, *conde*, *merge te*.

138. *Nulla*. Cui vivo nulla prolis cura, nedum mortuo.

139. *Nato*. Britannico.

140. *Sanguine alieno satum*. Neronem.

141. *Captus*, amore detentus, incensus. Vid. Animadv.

142. *Sibi Toris nefandis flebili junxit face*. Nefandis (hoc est, suis) toris per flebilem junxit facem. — *Nefandis*. Fratris enim vel sororis filiam uxorem ducere non licet. Suetonius, Claud. vit. XXVI: « Agrippinæ illecebris, inquit, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu qui censerent cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi reip. maxime interesset; dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac, vix uno interposito die, confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, et altero primipilari; cujus officium nuptiarum et ipse una cum Agrippina celebravit. » Eadem a Cornelio Tacito, lib. XII, cap. 7, commemorantur, nisi quod Tacitus unum T. Alledium Severum, equitem Romanum, exemplum hoc sequutum fuisse refert. DELR. — *Flebili face*. Tristibus et infaustis nuptiis. Phœniss. vs. 263 et 507; Med. v. 15. Adde quod XXX Senatorum et Romanorum equitum innumerorum cæde, nuptias hæc celebravit. FARNAB.—Facem hanc sponsæ mater præferebat. Noster inferius, vs. 153: « dira cui genitrix facem Accendit, » et actu III, scen. 1, vs. 594, sqq. Agrippina dicit se Stygiam facem Neronis

Hinc orta series facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, sanguinis diri sitis :
Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Proh facinus ingens! feminæ est munus datus
Silanus, et cruore fœdavit suo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hostis, hei mihi! captam domum,
Dolis novercæ, principis factus gener,
Idemque natus, juvenis infandi ingenii

et Poppææ nuptiis præferre; licet haud sciam ex Græco hoc an Romano more dicatur. Vid. sup. Med. vs. 27. Romæ enim pueri videntur facem prætulisse. In Plauti Casina, 30, Villicus Chalino Armigero servo minatur, « Primo omnium lucebis huic novæ nuptæ facem. » Catullus: « Tollite, o pueri, facem. » Apud Græcos et plerosque Barbaros hoc munus matris erat, ut ostendit Euripides in Iphigenia Aulidensi, apud quem jubenti Agamemnoni domum rediret, dicentique curaturum se omnia, quæ ad filiæ nuptias pertinerent, respondet Clytæmnestra, vs. 732 : τίς δ' ἀνασχήσει φλόγα; Ἀγ. Ἐγὼ παρέξω φῶς, ὃ νυμφίοις πρέπει. Κλυτ. Οὐχ ὁ νόμος οὗτος. Et in Phœnissis, 346, ait Jocastæ, Ἐγὼ δ' οὔτέ σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς Νόμιμον ἐν γάμοις, Ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ : in Troad. 348, quum Cassandra furore percita sibi ipsi facem præferret, non aliam ob causam dicit Hecuba : Παράδος ἐμοὶ φῶς· οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς Μαινὰς θοάζουσ'. Apollonii scholiastes Argon. IV : τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν ἔθος ἦν. Dela.

145. *Gener*. L. Silanus, Octaviæ sponsus, funesto illo nuptiarum die interfectus est.

146. *Tuis ne fieret hymenæis potens*, id est, potentiam, opes consequeretur. Idem v. 947 sq. « Quid non potuit quondam genitrix Tua, quæ rexit Principis aulam, Cara marito, partuque potens ? »

147. *Feminæ*. Agrippinæ, pro munere et victima nuptiali.

148. *Silanus*. Tres hoc tempore Silani fuerunt, Appius pater et duo filii Marcus et Lucius. Hic de Lucio Silano fit sermo, de quo jam supra, vs. 145, not.

149. *Criminis*. Incestus conficti et a Vitellio illi objecti.

150. *Intravit hostis*. Nero hospes, alienus : ut sup. vs. 140.

151. *Novercæ*. Agrippinæ. — *Principis*. Te, o Octavia, in uxorem accepta. — Estne operæ pretium hic revocare facta de quibus nimiam certe mentionem adhibet auctor? Vide tamen libros Annal. XII, XIII, XIV, quibus ea describit suo more Tacitus; et insuper locum illustrem, ubi eadem narrantur. J. Racine, *Britannicus*, act. IV, sc. II.

152. *Natus*. Per adoptionem.

Capaxque scelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, et te junxit invitam metu;
Tantoque victrix facta successu ferox,
Ausa imminere est orbis imperio sacri.
Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas feminæ, et blandos dolos
Regnum petentis per gradum scelerum omnium?
Tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys sæva funesto pede
Intravit aulam; polluit Stygia face
Sacros penates; jura Naturæ furens
Fasque omne rupit; miscuit conjux viro
Venena sæva; cecidit atque eadem sui
Mox scelere nati: tu quoque exstinctus jaces
Deflende nobis semper, infelix puer,
Modo sidus orbis, columen Augustæ domus,
Britannice, heu me! nunc levis tantum cinis,

153. *Dira cui.* Vid. Med. vs. 15.

156. *Orbis imperio sacri.* Sacer orbis est, qui sacra manu gubernatur; quam quidquid contingeret, *sacrum* et *divinum* dicebatur.

160. *Tunc.* Quando Agrippina intravit.

161. *Erinnys.* Megæra, discordia. Agam. vs. 83, et sup. vs. 24.

162. *Aulam*, Augustam domum. — *Polluit.* Scil. *Erinnys.*

163. *Jura Naturæ.* Nam patrui nuptiis ad omne flagitium exercita, in ardore retinendæ potentiæ, eo usque immanitatis provecta fuit, ut se temulento filio comtam et ad incestum paratam obtulerit; et commissum facinus, nisi Senecæ astu disjectum, fuisset, ut ex Cluvio et cæteris, uno Fabio Rustico dissidente, Tacitus commemorat, Annal. XIII, XIII: « Tum Agrippina... suum cubiculum ac sinum offerre, contegendis quæ prima ætas et summa fortuna expeterent. »

168. *Sidus orbis.* Posidonius: Οὗτός τοι Ῥώμης ὁ μέγας ξένε πατρίδος ἀστὴρ Μάρκελλος κλεινῶν Κλαυδίου ἐκ πατέρων. « Claudius hic Romæ quondam memorabile sidus Marcellus, patrum stirpe satus veterum. » Comment. antiquis in Juven. Sat. I, 71, legitur, Locustam, nobilem veneficam, a Nerone increpitam, quod Britannico lentum venenum parasset, tam efficax dedisse, ut antequam Britannicus poculum exhauriret, in convivio Neronis exspiraret: qua de re citatur ibidem fragmentum Turni Arunci, ex Satiris, quod ita recenseo: « Et quæ Cæsareas soboles

Et tristis umbra; sæva cui lacrimas tulit
Etiam noverca, quum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque et vultus Deo
Similes volanti, flamma fervens abstulit.
OCT. Exstinguat et me, ne manu nostra cadat.
NUTR. Natura vires non dedit tantas tibi.
OCT. Dolor, ira, mœror, miseriæ, luctus dabunt.
NUTR. Vince obsequendo potius immitem virum.
OCT. Ut fratrem ademtum scelere restituat mihi?
NUTR. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
OCT. Exspectat aliam principis sobolem domus:
Me dira miseri fata germani trahunt.
NUTR. Confirmet animum civium tantus favor.
OCT. Solatur iste nostra, non relevat, mala.
NUTR. Vis magna populi est. OCT. Principis major tamen.
NUTR. Respiciet ipse conjugem. OCT. Pellex vetat.
NUTR. Invisa cunctis nempe. OCT. Sed cara est viro.
NUTR. Nondum uxor est. OCT. Jam fiet, et genitrix simul.
NUTR. Juvenilis ardor impetu primo furit;

horrenda Locusta Occidit, curis dum liberat arte Neronem.» DELR.

170. *Cui lacrimas tulit.* Nam ignaram necis ægerrime tulisse scribit Cornel. Tacit. Ann. lib. XIII, cap. XVI.

172. *Deo similes.* Cupidini volucri alato.

173. *Flamma*, etc. Vid. Animadv.

177. *Vince obsequendo*, etc. Jam supra eadem dictaverat nutrix, vs. 84.

178. *Ut fratrem ademtum*, etc. Quorsum obsequium? neque enim ego vel officiis meis corda tyranni vincam; neque ille potest damna mihi pensare.

181. *Aliam.* Ex pellice scilicet Poppæa, quam mihi superinducere cogitat.

182. *Me dira.* Ego non alia quam quæ fratri meo Britannico fata obtigerunt exspecto. — *Trah.* Quasi fato quodam insuperabili.

183. *Tantus.* Qui magnus erat in Octaviam.

184. *Non relevat.* Non minuit, non tollit.

185. *Vis magna populi est.* Videtur imitatus auctor Neronis verba apud Tacitum, Annal. lib. XV, cap. XXXVI: « populum Romanum vim plurimam habere, parendumque retinenti. »

Languescit idem facile, nec durat diu
In venere turpi, ceu levis flammæ vapos.
Amor perennis conjugis castæ manet.
Violare prima quæ toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Jam metuit eadem, nempe prælatam sibi
Subjecta et humilis : atque monumenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
Et hanc levis fallaxque destituet Deus
Volucer Cupido : sit licet forma eminens,
Opibus superba, gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores
Regina Deûm, quum se formas
Vertit in omnes dominus cæli,
Divûmque pater;
Et modo pennas sumsit oloris;

191. *In venere.* Ut hic, incestu scilicet, sup. vs. 141. Porro, est qui *venerem hanc* ad incestum Neronis cum matre referat; de quo Tacit. Ann. lib. XIV, c. 2. Alii ad Poppæam adulteram; Gruterus ad Acten Neronis, de qua agitur in cap. modo laud. et in nota seq.

194. *Famula.* Sup. vs. 105. — Botheus ita ad h. l. « Recte Gruterus : Capiunt omnes de Poppæa, sed falso. Acten concubinam hæc notant, de qua Tacitus meminit lib. XIII (capp. 12 et 46), XIV (2), et Dio Cass. XLI, affirmantque Neroni potiorem fuisse Octavia. »

195 sq. *Metuit.* Acte nunc metuit ne sibi Poppæa præferatur, ut olim Poppæam ipsam amor destituet. — *Nempe prælatam ... t. suum.* Both. vult hæc esse Octaviæ, « sic respondentis εἰρωνικῶς, quasi Acte liberta secum minime comparari debeat, neque mirum sit, ei aliam præferri, utpote subjectæ et humili, quum ipsa sit sanguinis Cæsarei. Quod monumenta exstruxisse dicit Acten, quibus timorem suum testetur, fortasse aram Græcula ædificari jussit, vel sacellum consecravit in honorem Ἀφροδίτης φοβούσης, quemadmodum Phædra, Thesei uxor, templum dedicavit Ἀφροδίτῃ τῇ Κατασκοπιάδι in arce Athenarum, teste Pausania Corinth. cap. 32. Quo offensa videtur Octavia, tanquam manifesto servilis libidinis documento. »

196. *Monumenta.* Signa quibus se jam timere ostendit.

202. *Regina Deûm.* Juno.

205. *Pennas.* Jupiter enim specie cycni adivit Ledam, uxorem Tyndari, regis Laconiæ. Hipp. 301, 302.

Modo Sidonii cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri : fulgent cælo
Sidera Ledæ : patrio residet
Bacchus Olympo. Deus Alcides
Possidet Heben, nec Junonis
Jam timet iras, cujus gener est,
Qui fuit hostis : vicit sapiens
Tamen obsequium conjugis altæ,
Pressusque dolor : sola Tonantem
Tenet æthereo secura toro
Maxima Juno; nec mortali
Captus forma deserit altam
Juppiter aulam : tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.

OCT. Jungentur ante sæva sideribus freta,
Et ignis undæ, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies,

206. *Sidonii tauri*. Ubi in taurum mutatus, rapuit Europen Agenoris filiam regis Sidonis. Hipp. 303-308.

207. *Aureus*. Ubi Jupiter, aureus imber factus, per alienas tegulas in Danaes Acrisii filiæ gremium influxit, fucumque fecit mulieri.

209. *Sidera*. Castor et Pollux (alter saltem); Bacchus et Hercules ex Jovis adulteriis nati, et in Deorum numerum relati.

210. *Bacchus*. Herc. Fur. 458. — *Deus Alcides*, etc. Hercules enim Heben duxit uxorem, Deorumque numerum, prius imparem, æquavit; vid. Agam. vs. 811, et Herc. Œt. vs. 1437.

212. *Cujus gener est*. Sublegit Ovidio, Trist. III, 5, 44 : « Neve hominum referam flexas ad mitius iras, Junonis gener est, qui prius hostis erat. » Apollodorus, II, 7, 7, in hac narratione : διαλλαγεὶς Ἥρᾳ, τὴν ἐκείνης θυγατέρα Ἥβην ἔγημεν.

213. *Vicit sapiens Tam. obs*. Obsequium tamen Junonis prudenter exhibitum, et dissimulatus dolor, animum Jovis flexit vicitque.

214. *Pressusque dolor*. Virgil. Æneid. lib. I, vs. 209 : « premit altum corde dolorem. »

220. *Altera*. Quia « Divisum imperium cum Jove Cæsar habet » ? Anne (et id quidem melius), quia soror et conjux Neronis, ut illa Jovis? sup. vs. 145. FARN.

Quam cum scelesti conjugis mente impia
Mens nostra, semper fratris exstincti memor.
Utinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis Cælitum rector paret,
Qui sæpe terras fulmine infesto quatit,
Mentesque nostras ignibus terret sacris,
Novisque monstris! vidimus cælo jubar
Ardens, cometam pandere infaustam facem,
Qua plaustra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En ipse diro spiritu sævi ducis
Polluitur æther, gentibus clades novas

230. *Ignibus sacris*, etc. Fulmine.

231. *Monstris*. Prodigiis, cometis mutationem regum portendentibus, ut infra explicat, vs. 232.— *Vidimus*. Ex fide historiæ dictum; nam Tacitus, Ann. XIV, c. XXII, de his temporibus agens: « Inter quæ, inquit, et sidus cometes effulsit : de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat. » Seneca, Q. Nat. lib. VII, c. 17 : « Nec hunc, qui sub Nerone Cæsare apparuit, et cometis detraxit invidiam, illi similem fuisse, qui sub necem Divi Julii ludis Veneris Genitricis, circa undecimam horam diei, emersit. » Cap. 21 : « Sex enim mensibus hic quem nos Neronis principatu lætissimo vidimus, spectandum se præbuit, in diversum illi Claudiano circumactus. Ille enim a septemtrione in verticem surgens orientem petiit, semper obscurior : hic ab eadem parte cœpit, sed in occidentem tendens ad meridiem flexit, et ibi se subduxit oculis. » Et cap. 29 : « Intra sextum mensem dimidiam cæli partem transcurrit hic proximus, a septemtrione motus sui initium fecit, et per occidentem in meridiana pervenit, erigensque suum cursum oblituit. »

232. *Cometam*. Cometes hic accidit Nerone, quart. Cor. Cosso coss. anno Christi vulgari 60. Sex enim mensibus, hic spectandum cælo se præbuit. Conf. Senec. Quæst. Natur. VII, c. 21.

233. *Qua plaustra*. In septemtrione. Med. 315. Semper autem septemtrionem versus apparent cometæ; cf. not. supr. vs. 231.

234. *Frigido Arctoo*. Cf. Anim.

235. *Spiritu*. Alludit ad caussam cometarum, ubi plurimum exhalationis calidæ et pinguis ad supremam aeris regionem elevatur. Sic Œdip. vs. 46.

236. *Gentibus clades n. Minantur*. M. Manilius, Astron. I, 897 : « Talia significant lucentes sæpe Cometæ : Funera cum facibus veniunt ; terrisque minantur Ardentes sine fine rogos, etc. » Ed. nostr. Poet. lat. minor. vol. VI, p. 264.

Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Jove
Irata tellus edidit quondam parens.
Hæc gravior illo pestis: hic, hostis Deûm
Hominumque, templis expulit Superos suis,
Civesque patria; spiritum fratri abstulit;
Hausit cruorem matris; et lucem videt,
Fruiturque vita, noxiamque animam trahit!
Proh, summe genitor, tela cur frustra jacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum pœnas luat
Nero, ipse Divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo;
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.
NUTR. Indignus ille, fateor, est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunæ tuæ,
Alumna, quæso; neve violenti move
Iram mariti: forsitan vindex Deus
Exsistet aliquis, lætus et veniet dies.

237. *Dux imp.* Tyrannus Nero.

238. *Typhona.* Gigantem Terræ filium. Thyest. vs. 807; et ibi plura invenies super Typhone, vol. I, pag. 301.

240. *Hic hostis.* Nero.

241. *Templis.* Vasa enim sacra et Deorum simulacra conflavit.

244. *Nox. anim. tr.* Pro simplici, « vivit, quamvis adeo nocens. »

245. *Tela cur*, etc. Vid.. Anim. — *Frustra.... temere.* Has duas voces conjunxit exemplo Lucretii, lib. V, 1000: « *Sed temere*, incassum *frustra* mare, sæpe coortum, Sævibat. » (Hæc tamen alii aliter, scilicet, *mare fluctibus*, legunt.)

246. *Invicta toties.* Fulmina quibus nihil diu potuit resistere. — *Regali.* Qua cuncta regis.

248. *Utinam.* Melius hæc e nutricis persona, ait Both.: sedatiora enim quam quæ conveniant præcedentibus Octaviæ.

249. *Divo.* Sic vocatur Neronis imperantis parens, quamquam privatus et extra Augusti fastigii societatem defunctus.

251. *Morumque vitiis nom. Aug. inquinat.* Videsis apud Sueton. quæ fuerit horrenda Neronianorum flagitiorum series et audacia.

OCT. Gravi Deorum nostra jam pridem domus
Urgetur ira : prima quam pressit Venus,
Furore miseræ dira genitricis meæ :
Quæ nupta demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, conjugis, legum immemor.
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine exstinxit faces :
Incendit ira principis pectus truci
Cædem in nefandam : cecidit infelix parens
Heu! nostra ferro, meque perpetuo obruit
Exstincta luctu : conjugem traxit suum,
Natumque ad umbras, prodidit lapsam domum.
NUTR. Renovare luctus parce cum fletu pios;
Manes parentis neve sollicita tuæ,
Graves furoris quæ sui pœnas dedit.

259. *Furore.* Libidine, « qualis solet matres furiare equorum. »

260. *Quæ nupta.* Quæ Claudio nupta, profecto illo ad Ostiam, C. Silio nupsit. Sup. vs. 10, in not.

261. *Nostri.* Britannici, meique. — *Legum.* Non permittentium, ut mulier, vivo marito, nec repudiata, alteri nubat.

262. *Illo soluta crine. Illo* pro *illuc* accipe. Sic *isto* dicitur Ovidio, Epist. XVIII, 205. « Pace brevi nobis opus est, dum transferor isto. » Ubi. vid. Burmann. cujus referimus notam vol. Ovid. nost. I, 344. Nobis quidem legentibus *istuc*.

263. *Ultrix.* Med. v. 14, et sup. 24. — *Styg. tor.* Letales nuptias; utrique enim causa exitii fuerunt.

264. *Raptasque.* Ita Cydipp. apud Ovid. Epist. XXI, 172 (Ed. nostr. Ovid. vol. I, pag. 391) : « Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest. »

265. *Principis.* Claudii.

266. *Cecidit.* Sup. vs. 15, 16.

267. *Meque*, etc. Namque, illa exstincta, duxit Claudius Agrippinam, cujus scelere pater meus et frater venenati, ego invita Neroni nupta fui. — *Luctu*, junge cum *obruit*.

271. *Manes parentis.* Vide ad hæc, notam in vs. 1941, Hercul. Œt. (supr. pag. 123), et quem ibi citavimus Tibull. I, 1, 67. — *Sollicita.* Velis sollicitare, inquietare.

272. *Furoris.* Sup. vs. 259.

CHORUS.

Quæ fama modo venit ad aures,
Utinam falso credita, perdat
Frustra toties jactata fidem!
Nec nova nostri conjux thalamos
Principis intret; teneatque suos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Servetque decus Roma æternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Juno : soror Augusti
Sociata toris, cur a patria
Pellitur aula? sancta quid illi
Prodest pietas, Divusque pater?
Quid virginitas, castusque pudor?

Act. I, sc. IV. Poppææ nuptias detestatur chorus, Octaviæ favens: degenerem, lentam nimis et servilem Romanorum arguit patientiam, et in scelera Neronis invehitur.

273. *Quæ fama.* Ea fama quæ, etc. Scilicet Neroni, repudiata Octavia, nupturam esse Poppæam.

274 sq. *Perdat fidem.* Utinam non vera sit fama quæ venit, et quam toties agnovimus pro falsa.

277. *Teneatque*, etc. Maneat Neroni juncta, cui pariat liberos, amoris mutui pignora et quietæ successionis.—*Claudia proles.* Octavia Claudii filia.

280. *Qua.* Ut per eam pacem.

281. *Decus.* Imperii.

282. *Fratris.* Jovis. Sup. vs. 216.

283. *Augusti.* Neronis Imper.

286. *Divusque.* Claudius ex more Rom. imperatorum in Deorum numerum relatus, quem tamen rursus detrusum ad inferos jocatur Seneca in Apocolocyntosi.

287. *Quid virginitas.* Apuleius Apolog. laudante Gron. « Ipsa virginitatis commendatio jure merito omnibus maritis acceptissima est: nam quodcunque aliud in dotem accepisti, potes, quum libuit, ne sis beneficio obstrictus, omne, ut acceperas, retribuere: pecuniam renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, prædiis cedere; sola virginitas reddi nequit, sola apud maritum ex rebus dotalibus permanet. » Vid. insuper ad hunc locum Animadv. inf. pag. 300.

Nos quoque nostri sumus immemores
Post fata ducis, cujus prodimus
Stirpem, sævo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hac expulerunt
Urbe superbos; ultique tuos
Sunt bene manes, virgo, dextra
Cæsa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Præmia victrix dira libido.
Te quoque bellum triste sequutum est,
Mactata tua miseranda manu,
Nata Lucretii, stuprum sævi
Passa tyranni: dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia conjux; quæ per cæsi

288. *Nos.* Romani.—*Nostri ducis.* Claudii.

290. *Sævo suad. met.* Propter tyranni Neronis metum.

293. *Martis.* Per Romulum et Remum Martis ac Iliæ filios, Romæ conditores.

294. *Reges.* Tarquinium Superbum cum filiis et Decemviros.

295. *Superbos.* Nomen et indoles designantur.

296. *Virgo.* Virginia, cujus forma captus Claudius decemvir, illam per libertum, qui eam ex ancilla natam falso asseverabat, in servitutem redigere conatus est; cui quum pater Virginius resistere non posset, cultro e proxima laniena arrepto, filiam propria manu jugulavit, potius quam turpe servitium subiret: et tali facinore commotus populus Decemviros abire magistratus coegit.

300. *Bellum.* Ex Porsenna Etruscorum rege, qui Tarquinios, propter Lucretiam, a Sexto Tarquinio regis filio violatam, exactos, reducere contendebat.

301. *Mactata.* Advocatis marito et parente, propria manu sibi mortem conscivit, ne adulterio consensisse videretur.

304. *Sceleris.* Quod Servium Tullium socerum Tarquin. Sup. uxoris consilio interfecit, ut solus regnaret; filiaque scelerata patris in vico Cyprio stratum cadaver carpento prætervecta est.

Membra parentis sævos egit
Impia currus, laceroque seni
Violenta rogos nata negavit.
Hæc quoque nati videre nefas
Secula magnum, quum Tyrrhenum
Rate ferali princeps captam
Fraude parentem misit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Jussi nautæ;
Resonant remis pulsata freta;
Fertur in altum provecta ratis,
Quæ resoluto robore labens
Pressa dehiscit, sorbetque mare.
Tollitur ingens

308. *Rogos.* Solenne funus, sepulturæ ritum et monumentum patri negavit.

309. *Hæc quoque.* Quo melius appareat locus, adjeci Tranquilli verba, Vit. Neron. cap. XXXIV (Ed. nostr. vol. II, pag. 200): « Nero matrem, dicta factaque sua exquirentem acerbius et corrigentem, hactenus primo gravabatur... mox et honore omni et potestate privavit... verum minis ejus ac violentia territus, perdere statuit. Et quum ter veneno tentasset, sentiretque antidotis præmunitam; lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per socios parum celato, solutilem navem, cujus... naufragio ... periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis literis Baias evocavit ad solennia Quinquatruum simul celebranda, etc. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit... Sed ut diversa omnia, nandoque evasisse eam comperit, inops consilii, L. Agerinum libertum ejus, salvam et incolumem cum gaudio nuntiantem, abjecto clam juxta pugione, ut percussorem sibi subornatum arripi constringique jussit, matremque occidi. » FARN.—*Captam fraude.* Delusam.

313. *Properant*, etc. Incipit hic Chorus describere cædem Agrippinæ. — *Portus* Baulos; id villæ nomen : Misenum promontorium inter et lacum Baianum, flexo mari alluitur : ita Tacitus, Xiphilinus et Martialis : primum ab Herculis bobus ibi stabulatis, *Boalia*, mox *Boauli*, tandem *Bauli*, teste Servio.

316. *Fertur*, etc. Vid. Animadv.

317. *Resoluto robore*, quo intexebantur costæ.

318. *Pressa.* Gall. *coulant à fond.* —*Sorbet*, admittit intus.

Clamor ad astra cum femineo
Mixtus planctu : mors ante oculos
Dira vagatur : quærit leti
Sibi quisque fugam;
Alii laceræ puppis tabulis
Hærent nudi, fluctusque secant;
Repetunt alii litora nantes:
Multos mergunt fata profundo.
Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas, rigat et mœstis
Fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira, jam victa malis,
« Hæc, exclamat, mihi pro tanto
« Munere reddis præmia, nate?
« Hac sum, fateor, digna carina,
« Quæ te genui, quæ tibi lucem
« Atque imperium nomenque dedi
« Cæsaris amens. Exsere vultus
« Acheronte tuos, pœnisque meis
« Pascere, conjux; ego causa tuæ,
« Miserande, necis, natoque tuo

320. *Femineo*. Aliarum tamen, quam Agrippinæ, feminarum.

325. *Hærent nudi*. Lucianus de Merc. Cond. c. 1, ubi naufragi ridentur narrantes, ὡς πρὸς πέτραν τινὰ ὕφαλον, ἢ σκόπελον ἀπόκρημνον, περιῤῥήξαντες τὸ δύστηνον σκαφίδιον, ἄθλιοι κακῶς ἐξενήξαντο, γυμνοὶ, καὶ πάντων ἐνδεεῖς τῶν ἀναγκαίων. — Vide Animadv.

328. *Augusta*. Mater Augusti, Agrippina.

332. *Ardens ira*. At Tacitus docet Agrippinam silentio et dissimulatione crimen transmittere conatam. Annal. XIV, cap. 6 : « securitate simulata. »

333. *Exclamat*, sc. Agrippina. — *Tanto munere*, imperio. Sup. vs. 45 et 93.

335. *Fateor*. Causata scilicet amentiam suam, vs. 338.

340. *Conjux*, Claudi. — *Causa*. Imo, auctor; namque eum venenatis boletis interfecit.

341. *Nato tuo*. Britannico.

«Funeris auctor.
«En, ut merui, ferar ad manes
«Inhumata tuos,
«Obruta sævis æquoris undis.... »
Feriunt fluctus ora loquentis.
Ruit in pelagus, rursumque salo
Pressa resurgit : pellit palmis
Cogente metu fata, et cedit
Fessa labori. Mansit tacitis
In pectoribus spreta tristi
Jam morte fides : multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent : brachia quamvis
Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibusque levant. Quid tibi sævi
Fugisse maris profuit undas?
Ferro es nati moritura tui :
Cujus facinus vix posteritas,
Tarde semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem

347. *Ruit*, qua resoluta tabulata rimam aperiunt.

348. *Pressa*. Quo sensu, supr. vs. 318. — *Pellit palmis fata*. Natando se morti eripere tentat.

350. *Mansit*. Plerique famulorum spectantiumque in littore fidei, quam in Agrippinam tacito sub corde servaverant, Neronis iram posthabentes, illi succurrebant. Ad varias Lect. vid. de h. l. Heinsium et Badenium disserentes.

352. *Multi dominæ*, etc. Ordo est, « Multi audent ferre auxilium viribus dominæ fractis pelago. »

354. *Brachia quamvis*, etc. Vid. Animadv.

356. *Quid tibi sævi*, etc. Exclamatio est Chori.

359. *Cujus facinus*. Ita immane et horrendum, ut vix apud posteros, nonnisi sero veritatem admittentes, fidem sit habiturum.

360. *Credet*. Vid. Animadv.

361. *Ereptam pelagoque*. Posceret recta sermonis sinceritas, « Ereptamque pelago. » Tacit. Ann. XIV, cap. 7 : « Neroni adfertur evasisse ictu levi sauciam... Tum pavore exanimis, etc. »

Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miseræ fata parentis,
Patiturque moram sceleris nullam.
Missus peragit jussa satelles;
Reserat dominæ pectora ferro:
Cædis moriens illa ministrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut ensem.
«Hic est, hic est fodiendus, ait,
«Ferro, monstrum qui tale tulit.»
Post hanc vocem cum supremo
Mixtam gemitu,
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

363. *Geminat.* Bis aggreditur.

366. *Missus peragit.* Anicetus libertus, pueritiæ Neronis educator, jamque classis apud Misenum præfectus, cum Herculeo tricrarcho et Oloarito centurione missus ad Agrippinam interficiendam.

368. *Cædis moriens illa ministrum Rogat infelix.* Habentur hæc, si non ad verbum, at certe eodem sensu in Tacit. Annal. XIV, cap. 8. Scilicet Agrippina exclamavit rogans ministrum, ut utero dirum ensem conderet, adjiciens, «hic est fodiendus ferro, monstrum qui tale tulit;» post hanc vocem, mixtam gemitu animam tandem per fera tristem vulnera reddidit.

375. *Per fera tristem.* Multis vulneribus confossam, per singula spiritum emisisse Agrippinam tradit Noster; ex eorum sententia, qui confossos vulneribus, non per os, sed per ipsa vulnera exhalare animam putabant: illi videlicet, qui animam esse ipsum sanguinem credebant, quos Aristoteles in libb. de Animo refellit. Delr.

ACTUS SECUNDUS.

SENECA.

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Alte extulisti, gravius ut ruerem edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis,
Remotus inter Corsici rupes maris:
Ubi liber animus et sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, molis et cursus sacros,
Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, astra quem cingunt vaga,

Act. II, sc. 1. Philosophus sæculi sui vitia detestatus, prisci ævi simplicitatem laudat, utque omnia in dies in deteriora ruerint, commemorat.

377. *Contentum.* Me cui sufficiebat mea sors.

379. *Gravius.* « An me tollis in altum, Ut casu graviore ruam? » Ut canit fere Claudian. in Rufin. 41.

380. *Arce*, dictum de re qualibet, superius adepta fastigium. — *Metus.* I. e. causas formidinis.

381. *Melius.* Senecam, quasi Juliæ Germanici F. adulteriorum conscium, Messalina criminata fecit, ut a Claudio in Corsicam, scopulosam insulam, relegaretur, unde, intercedente postmodum Agrippina, revocatus, Neroni præficiebatur.

385. *O quam.* Hæc omnia ex Cons. ad Helv. capp. 4, 8 et 9.— *Quo.* Refer ad *cælum*, infr. vs. 387.

387. *Cælum intueri*, etc. Vid. Animadv.

388. *Alternas vices.* Conf. Varr. Lectt. ad calcem tragœdiæ.

Lateque fulgens ætheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in cæcum chaos
Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cæli ruina; rursus ut stirpem novam
Generet, renascens melior : ut quondam tulit
Juvenis, tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni Dea,
Justitia, cælo missa cum sancta Fide,
Terras regebat mitis : humanum genus
Non bella norat; non tubæ fremitus truces;
Non arma gentes; cingere assuerant suas
Muris nec urbes : pervium cunctis iter;
Communis usus omnium rerum fuit.
Et ipsa tellus læta fecundos sinus

390. *Ætheris.* Cæli et siderum.

391. *Senescit.* Qui si senescit, aliquando interiturus, ut nova progenies succedat (ex nonnullorum philosophorum sententia), nunc sane instat tempus, quo omne in præcipiti vitium stetit. — *In cæcum chaos.* Omnia corpora συγκεχυμένα, confusa, composita, et in unum quasi conflata, in eadem, ex quibus coaluerunt, resolvenda asserebant veteres : ex chao igitur, seu indigesta potius ejus mole (ut scribit Ovid. Met. I, 7) ortum mundum, in chaos iterum ait rediturum. Propter hanc omnium in elementa sua resolutionem, Ægyptii mundum figura serpentis caudam suam devorantis, significabant. Vide Pierium, Hieroglyph. lib. XIV. Delr.

392. *Casurus iterum.* Dixerat idem Lucanus, I, 72 sqq. « ... sic quum compage soluta Sæcula tot mundi suprema coegerit hora, Antiquum repetens iterum chaos; omnia mixtis Sidera sideribus concurrent, ignea pontum Astra petent; tellus extendere litora nolet, Excutietque fretum : fratri contraria Phœbe Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem Indignata, diem poscet sibi : totaque discors Machina divulsi turbabit fœdera mundi. » — *Nunc adest mundo dies.* Vid. Animadv.

396. *Juvenis* scil. *mundus.* Recens natus et sub rege Saturno aureus.

397. *Virgo.* Astræa. Thyest. vs. 857.

398. *Fide.* Quæ justitiæ fundamentum est. Vid. Animadv.

399. *Humanum.* Hæc ex Hesiodi, Arati et Ovidii descript. notandum.

402. *Pervium.* Per omnes vias, omnes domos.

404. *Sinus*, gremium.

Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. Alia sed soboles minus
Conspecta mitis : tertium solers genus
Novas ad artes exstitit; sanctum tamen.
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subjectos jugo
Tauros feroces; vomere immunem prius
Sulcare terram, læsa quæ fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suæ
Deterior ætas; eruit ferrum grave,
Aurumque; sævas mox et armavit manus;
Partita fines regna constituit, novas
Exstruxit urbes; tecta defendit suis
Aliena telis, aut petiit prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, et mores feros

406. *Alumnis.* Colonis, quos alebat. — *Alia.* Secunda, argentea.

407. *Tertium.* Ætas ahenea, « Sævior ingeniis, et ad horrida promtior arma, Non scelerata tamen. » Ovid. Met. I, 126.

409. *Mox.* Quartum genus. — *Cursu.* Virgil. Æn. IV, vs. 157 : « ... jamque hos *cursu,* jam præterit illos. » Lib. V, 253 : « velocis jaculo cervos, *cursu*que fatigat. » Lib. VII, 478 : « Insidiis *cursu*que feras agitabat Iulus. »

410. *Tectos,* protectos.

412. *Decipere volucres,* etc. Vid. Animadv. — *Jugo.* Connecte *jugo* cum *premere*, potius quam cum *subjectos.*

413. *Vomere imm.* Vid. Anim.

415. *Sacro.* Scilicet quem revereri debuerant.

417. *Grave,* funestum.

419. *Partita fines.* Quibus termini fuerunt assignati.

420. *Tecta defendit suis Aliena telis, aut petiit,* etc. His alluditur ad bella quæ jam, mercede pacta, aut publicæ utilitatis, aut propriæ ambitionis respectu, homines susceperunt. « Protexit tecta, domos aliorum propriis armis, etc. » Ne ad textum quidem attendit Gallicus interpres, dum vertit : « On défendit ses toits *avec des traits nouveaux.* »

422. *Neglecta terras fugit.* Eadem eisdem fere verbis Virgil. Georg. lib. II, vs. 473 : « ... extrema per

Hominum, ac cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant: seculo premimur gravi,
Quo scelera regnant: sævit impietas furens.
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria, victrix orbis, immensas opes
Jam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu: quid ferat, mente horreo.

NERO, PRÆFECTUS, SENECA.

NERO. Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi
Sullæque cæsi referat abscissum caput.

illos, Justitia excedens terris, vestigia fecit.»

423. *Hominum*, etc. Vid. Anim. — *Hominum* junge cum *manus*.

424. *Astræa*, seu Erigone, Jovis et Themidos filia, terras cæde madentes olim reliquerat. Conf. Thyest. vs. 857.

428. *Tempus*. Consuetudo qua augescunt tum vitia, tum virtutes. — *Error*, animi cæcitas.

431. *Quo*, in quo.

433. *Luxur. victrix orb.* Juvenal. Sat. VI, 293: « Luxuria incubuit, *victum*que ulciscitur orbem. »

434. *Jampridem*. Multa injuste rapit, ut nequiter profundat.

Act. II, sc. II. Incassum monet suum Neronem philosophus, qui tyrannicis institutis pertinaciter insistit, proximumque diem nuptiis cum Poppæa destinat.

437. *Perage imperata*. Senec. Benef. III, 25: « Nihil se deprecari, quo minus *imperata perageret*. » — *Mitte*. Mitte alios milites in Asiam, qui Plauti Rubellii, in Galliam Narbonensem alios, qui Sullæ, in Massiliam amoti, capita mihi referant. Tacit. Ann. XIV, c. 59, 60. — Quis sit quem hic alloquitur, vid. inf. 438, not.

438. *Absc. caput*. Hoc ait, quia reipsa centuriones cæsorum capita ad Neronem retulerunt, quibus Nero crudelissime illusit, auctore

PRÆF. Jussa haud morabor : castra confestim petam.
SEN. Nihil in propinquos temere constitui decet.
NERO. Justo esse facile est, cui vacat pectus metu.

Tacito, Annal. XIV, 69. Præfectus autem, quem hic alloquitur, non est Burrhus Afranius, jam veneno sublatus, teste Tacito, lib. XIV, 51, et Suetonio in Nerone, cap. 35 : sed alter e duobus, qui Burrho, more antiquo, successerunt, Fenius Rufus, vel Sophronius Tigellinus: et, ut opinor, hic potius, quia validior in animo principis, teste Tacito, lib. XIV, 51. Præfectus prætorio hic erat, hoc est, præfectus aulæ, ut docet Petr. Faber, Semestr. lib. I, c. 1. DELR. — *Sullæque ..... absc. caput.* Notat hic Delrius : « præfectus prætorio ... ut multis docet Petr. Faber. » At hunc, et quoscumque sic cum eodem sentientes erravisse confusione temporum, quibus hæc potestas incrementa ceperit, multis dudum docuit Vir Cl. Jac. Perizonius, Disquisitione de Prætorio. Ubi ostendit præfecti illius prætorio potestatem ex prima institutione fuisse mere militarem, quum is solis militibus in prætorio seu castris prætorianis præesset; postea vero, quum insequentes imperatores his in præfectis maximum fiduciæ fundamentum collocarunt, auctam esse præfectis prætorio potestatem, adjecta sc. aulæ atque urbis ipsius præfectura. Ex qua potestatis illius amplificatione, a Græcis quidem, atque in primis historiæ Byzantinæ scriptoribus, præfectum prætorio sæpe appellari ἔπαρχον τῆς αὐλῆς, sed ita, ut aulæ præfectura totam præfecti in milites prætorianos potestatem atque adeo urbis ipsius præfecturam includat. SCHROEDER.

439. *Castra.* Militum vocandorum gratia : tunc ergo habitabant prætoriani milites in castris prætorianis, a Tiberio in extrema urbis parte constitutis, ut ex Dione, Tacito, Suetonio docent Onufrius, Lazius, Faber. De his castris sic legitur in Comment. Vet. Juvenal. Sat. X, 95 (ubi illa Juvenalis *domestica castra* vocat, quia in urbe) : « Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, id est, super Diocletianas : quæ dicta sunt castra prætoria. » Et in Satir. XI, 51 : « A Suburra frequentissima regione migrare ad Diocletianas ubi solitudo est. » Habebant tamen stationem in ipso palatio, et more militari excubias singuli vicissim tribuni agebant, ut docet Tacitus lib. VI, 2 : ideo infra versu 780 : « quicumque miles tectis exsultat ducis, Defendat aulam. » Hic vero, ne quemquam a statione Palatina abducat, ad castra properat præfectus, ut inde mittat, qui Neronis imperium exsequantur. DELR. — *Petam.* Ut mittam milites percussores, qui mandatum tuum exsequantur. FARN.

440. *In propinquos.* In amicos, et tibi conjunctos munere quod prope te exercent.

441. *Justo esse.* Si tibi, quæ mihi, imminerent pericula et metus, non omnia ex justo, verum potius ex securitatis respectu, præciperes.

SEN. Magnum timoris remedium clementia est.
NERO. Exstinguere hostem, maxima est virtus ducis.
SEN. Servare cives, major est patriæ patri.
NERO. Præcipere mitem convenit pueris senem.
SEN. Regenda magis est fervida adolescentia.
NERO. Ætate in hac satis esse consilii reor.
SEN. Ut facta Superi comprobent semper tua!
NERO. Stulte verebor, ipse quum faciam, Deos.
SEN. Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.
NERO. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
SEN. Crede obsequenti parcius: levis est Dea.
NERO. Inertis est, nescire quid liceat sibi.
SEN. Id facere, laus est, quod decet, non quod licet.
NER. Calcat jacentem vulgus. SEN. Invisum opprimet.

444. *Patriæ patri.* Bono imperatori et principi; et cæterum, Romanis imperatoribus attributum erat illud nomen.

445. *Præcipere.* Languida hæc tua præcepta magis convenirent pueris.

446. *Magis.* Quam pueritia. Ap. Tacitum, Ann. XIV, c. 55, Nero ad Senecam: « quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti. » Et ibid. c. 56: « Quin, si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas, ornatumque robur subsidio impensius regis. »

448. *Ut facta,* etc. O utinam. Formula est optantis.

449. *Stulte verebor,* etc. Quorsum timeam Deos quos sibi quisque ex superstitione sua facit, qualisque Claudius est, quem ego nuper indigetem consecravi? Vid. *Une fête de Néron,* auctt. *Soumet et Belmontet,* act. I, sc. IV: « SÉN. Craignez les dieux, César. NÉR. C'est moi qui fais les dieux. »

450. *Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.* Eo magis debes timere, quod tantam habes potentiam. — *Hoc,* ex eo, propter hoc ipsum. — *Quod licet tantum tibi.* Pariter Silius, XIV, vs. 670, de Marcello victore: « Ingemuit nimium juris, tantumque licere Horruit. »

452. *Parcius.* Refer ad *crede,* non ad *obsequenti.* — *Levis.* Inconstans dea est Fortuna.

455. *Calcat jacentem.* Remissum, lenem, mansuetum, clementem. En duo tibi. Odium et contemtus, exitia principum, scopuli naufragiis regnorum infames. Alterum illud prius semper tyrannis adesse, sed posterius rarius, sed longe majorem ad eversionem habere vim docet Aristot. Polit. lib.

NERO. Ferrum tuetur principem. SEN. Melius fides.
NERO. Decet timeri Cæsarem. SEN. At plus diligi.
NERO. Metuant necesse est. SEN. Quidquid exprimitur, grave est.
NERO. Jussisque nostris pareant. SEN. Justa impera.
NERO. Statuam ipse. SEN. Quæ consensus efficiat rata.
NERO. Despectus ensis faciet. SEN. Hoc absit nefas.
NERO. An patiar ultra sanguinem nostrum peti
Invictus, et contemtus ut subito opprimar?
Exsilia non fregere summotos procul
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium quum maneat etiam ingens favor
In urbe nostra, qui fovet spes exsulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa conjux pereat, et carum sibi

V, cap. 10. Inefficax fere odium, nisi contemtus accedat. Qui odit, optat nova, non audet: qui contemnit, quia non metuit, aggreditur contemtum, solio deturbat, et solo calcat: hoc Nero significare voluit. DELR.

456. *Fides*. Fiducia. Auctores supr. citati, Act. I, sc. IV: « SÉN. Prince, on hait les tyrans.... NÉR. Soit, pourvu qu'on les craigne. SÉN. L'amour mieux que le fer défendrait votre règne. NÉR. Le peuple est sans amour : il n'a que de la peur. »

458. *Exprimitur*, per vim exigitur, extorquetur. — *Grave*, molestum obedientibus.

459. *Jussisque nostris*. Continuat sententia vers. 458; non audiente Nérone quæ jactet philosophus; et sic redditur ratio τοῦ *que*.

460. *Statuam*. Leges feram. — *Ipse*, solus. Ego ipse, nec alii. — *Quæ consensus*. Senatorum, equitum, plebis. — *Efficiat rata*. Debet solus efficere rata.

461. *Despectus ensis*. Ille ensis, quem nunc modo cives mei despiciunt. — *Faciet*. Suppl. *rata*.

462. *Ultra*. Diutius. — *Peti*. A conjurantibus in vitam meam.

463. *Invictus, et contemtus*. Victor semper et tamen contemtus. — *Subito ... opprimar*. Innuit proditione sola se posse intercipi.

467. *Absentium*. Conjuratorum quos in exsilium misi.

468. *Fovet*. Ut, me tandem cæso, revocentur ab exsilio.

469. *Ense*. Vulgus securi feriebatur, nobiles gladio.

470. *Invisa conjux pereat*. Scil. Octavia.

Fratrem sequatur : quidquid excelsum est, cadat.
SEN. Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus : petitur hac cælum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur et templis Deus.
Illum tamen Fortuna jactavit diu
Terra marique per graves belli vices;
Hostes parentis donec oppressit sui.
Tibi numen incruenta summittit suum;
Et dedit habenas imperii facili manu,
Nutuque, terras, maria, subjecit tuo.
Invidia tristis victa consensu pio
Cessit : senatus, equitis accensus favor ;

471. *Fratrem seq.* Britannicum.

474. *Tempus*, quo possit ira defervescere.

477. *Sic ille.* His virtutibus, clementia, etc. — *Primus.* Primus e principibus Pater patriæ salutatus Augustus.

478. *Compl. est.* Assecutus est.

481. *Parentis.* Julii Cæsaris, qui Octavium, sororis suæ filium, adoptavit. Erat autem Atia, mater Octavii, genita Julia, sorore C. Cæsaris, ac proinde Octavius nepos, non filius Juliæ. Vide Suetonium August. cap. 4.

482. *Tibi numen*, etc. Fortuna tibi submisit numen suum atque mundi regnum sine bello.

483. *Facili manu.* Minime reluctata.

484. *Nutu subj.* Non hic ablativ. sed antiq. dativ. Vid. 843.

485. *Invidia tristis victa*, etc. *Invidia* scil. in adoptivum. Vid. Tacit. Annal. XII, 25 et 41. *Tristis* bene habet. Pindarus, Pyth. II, vs. 169 sqq. ...ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα νόον ἰαίνει φθονερῶν, στάθμας δέ τινος ἑλκόμενος περισσᾶς, ἐνέπαξεν, ἕλκος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ, Πρὶν ὅσα φροντίδι μηχανῶνται τυχεῖν. — *Consensu.* Galba ap. Tacit. Hist. I, 16 : « Generari et nasci, a principibus fortuitum nec ultra æstimatur : adoptandi judicium integrum, et si velis eligere, *consensu* monstratur. Sit ante oculos Nero. »

486. *Senatus, equitis accensus favor; Plebisque votis atque judicio patrum Tu pacis auctor, generis humani arbiter Electus, orbem*, etc. Satis est hunc interpungendi modum indicare, ut liquidus fiat sensus. Non hæsitavimus, in loco fere de-

Plebisque votis, atque judicio Patrum
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu sacra specie regis,
Patriæ parens : quod nomen ut serves, petit,
Suosque cives Roma commendat tibi.
NERO. Munus Deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma, et Senatus; quodque ab invitis preces
Humilesque voces exprimit nostri metus.
Servare cives, principi et patriæ graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia est,
Quum liceat una voce suspectos sibi
Mori jubere! Brutus in cædem ducis,
A quo salutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Jovi
Æquatus altos sæpe per honorum gradus,
Cæsar nefando civium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,

sperato, hanc correctionem accipere. Explica ergo : « Tibi conciliatus est favór senatorum et equitum; tu, postquam populi senatusque romani votis et judicio fuisti declaratus pacis auctor, et electus arbiter generis humani, gubernas orbem quasi sacerrimo ornatus titulo, parentis scilicet patriæ. » Cæterum vid. in Animadvers.

489. *Orbem tu sacra specie*, etc. Vid. et vs. præc. et Anim. ad h. l.

490. *Petit*. Scil. Roma.

492. *Munus*. Diis imperium acceptum potius refert (quos tamen sup. vs. 449 contemsit), quam se quid Romanis debere agnoscat.

493. *Quodque*, etc. Et Diis debeo gratias, de eo metu quem de me conceperunt subditi, quique eos vel invitos in officio continet.

495. *Servare*, etc. Servare autem cives factiosos, conjuratos in patriæ et principis perniciem, nobilitate sua fretos superbosque, quæ dementia !

498. *Ducis*. C. Julii Cæsaris imperatoris.

499. *Salutem*. Publicam, vel etiam privatam, quum eum semper dilexisset, hæredemque de parte scripsisset, unde et confossus ingemuit, « Et tu, mi Brute? » FABR. — Quam publicam, quam privatam salutem dixerit, interpres ipse viderit. Sententia vera est, Brutum a Cæsare servatum in Pharsalica acie. Dion. : ὁ Βροῦτος ὁ Μάρκος, ὁ μετὰ τοῦτο αὐτὸν ἀποκτείνας, καὶ ἑάλω ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἐσώθη.

Lacerata toties! Ille, qui meruit pia
Virtute cælum, Divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem, quum suos mortis metu
Fugerent penates, et trium ferrum ducum,
Tabula notante deditos tristi neci!
Exposita rostris capita cæsorum patres
Videre mœsti : flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi.
Nec finis hic cruoris aut cædis stetit.
Pavere volucres et feras sævas diu
Tristes Philippi : hausit et Siculum mare

504. *Ille qui meruit pia.* Primus e Romanis imperatoribus in Deorum numerum relatus Augustus. FARN. — Senec. de Clem. lib. I : « Hæc Augustus senex, aut jam in senectutem annis vergentibus. In adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit ad quæ invitos oculos retorquebat. » Et paulo post : « fuerit moderatus et clemens : nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum : nempe post fractas in Sicilia classes, et suas, et alienas : nempe post Perusinas aras, et proscriptiones. » His dictis nunc Nero Senecam invadit, proprio illum, quod dici solet, gladio : propter hæc et similia, Ausonius ait illum sævitiam Neronis armasse. DELR. —Quod hic Farnabius notat, primum Augustum e Romanis imperatoribus in Deorum numerum relatum esse, verum est, si quidem a Julio Cæsare discesseris, qui tamen prænomen imperatoris recepit, Sueton. in Jul. Cæs. 76, et de cujus consecratione disertim Sueton. in Jul. Cæs. c. 88. SCHROED.

506. *Quot.* Quum proscriptionem, cui aliquandiu restitit, inceptam crudelius exercuit.

508. *Trium ducum.* Triumvirorum, Lepidi, Antonii, Octavii.

509. *Tabula.* Tabula dictante proscriptos.

510. *Exposita.* Senatores viderunt capita Ciceronis, L. Pauli, aliorumque illustrium virorum, in foro affixa suggesto, quod ex rostris navium Antiatum.

513. *Gravi,* corrupta, horrenda, detestanda.

514. *Hic.* Est quasi adverb. loci : tum quum sævirent tres viri.

515. *Pavere.* Cadaveribus Romanorum cæsorum in campis Philippicis in Macedonia, ubi pugnatum ab Octavio et Antonio contra Brutum et Cassium.

516. *Tristes Philippi.* Virg. G. I, 491 : « Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies ite-

Classes, virosque sæpe cedentes suis.
Concussus orbis viribus magnis ducum:
Superatus acie puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Ægyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum : condidit tandem suos
Jam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, et continuit imperium metu.
Armis, fideque militis tutus fuit.
Pietate nati factus eximia Deus,

rum videre Philippi : Nec fuit indignum Superis, bis sanguine nostro Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos. » — *Hausit.* In prælio navali contra Sext. Pompeium. Vid. Animadv.

517. *Viros cedentes suis.* Id est, cives a civibus victos. *Cedere* pro *vinci* frequentissimum est Floro. Vid. Duker. ad I, 14, 2, et II, 6, 61. Eodem significatu verbum occurrit apud Ciceronem de Offic. II, § 40 : « Viriatus Lusitanus; cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt. » Item apud poetas. Uno defungamur exemplo Martialis, IX, 66, 4 : « *Cesserunt* manibus quum fera monstra tuis. » Vid. Animadv.

518. *Concussus orbis*, bello nimirum Actiaco. Tacitus Hist. I, 16 : « in hoc concussi orbis motu. » — *Vires ducum;* sumsit a Seneca, Quæst. Nat. IV, Præf. extr. : « quum quatuor Romanorum principum, id est, totius imperii vires contractas in unum locum vidit. » Unde et Lucanus, IV, vs. 25 : « Prima dies belli cessavit Marte cruento, Spectandasque ducum vires, numerosaque signa Exposuit. »

519. *Superatus acie.* De Antonio capiendum esse, clarum est ex *puppibus fugæ paratis*. Horatius, Actiacam victoriam celebrans, Epod. IX, vs. 19 : « Hostiliumque navium portu latent Puppes sinistrorsum sitæ. » Ubi vide Interp. — Nullo autem pacto potest capi de Pompeio, quum præcedens versus innuat bellum Augusti cum Antonio et Cleopatra; idque satis evincit illud, *puppibus fugæ paratis ;* nam Pompeio nullæ ejusmodi naves.

521. *Incesta.* Propter Cleopatram Ptolemæo fratri nuptam.

522. *Iterum.* Semel Cn. Pompeii; iterum M. Antonii. — *Leves umbras.* Seu quia sic proprie dictum de umbris; seu ut designetur humana fragilitas.

523. *Sepultum.* Sedatum, finitum. — *Impie.* Junge cum *gestum.*

528. *Pietate nati*, etc. A Ti-

Post fata consecratus, et templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si sævo prior
Ense occuparo quidquid infestum est mihi,
Dignaque nostram sobole fundaro domum.
SEN. Implebit aulam stirpe cælesti tuam
Generata Divo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris, more Junonis, toros.
NERO. Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam conjugis junctus mihi.
SEN. Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus quum tegit flammas amor.
NERO. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,
Manifesta quamvis pectore insociabili
Vultuque signa proderent odium mei.
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor;
Dignamque thalamis conjugem inveni meis

berio filio adoptivo Divus consecratus. Sup. vs. 505.

530. *Nos quoque*, etc. Et me quoque suo excipient Dii consortio, si prius inimicos sustulero.

534. *Generata Divo*, etc. Octavia, sup. vs. 220.

536. *Incesta*, etc. Messalina, vulgatum illud prostibulum, suspectam mihi reddit Octaviam et prolem incertam. Secundum illud Juvenal. Sat. VI, 239: « Exspectas ut tradat mater honestos, Aut alios mores quam quos habet. » — *Detrahit generi fidem*. Intellige aut: « suspectos mihi reddit ipsius Octaviæ mores, et illam, quam tu prædicas, ejus castitatem. » Aut, « dubium mihi injicit, an sit vere Octavia regio sanguine orta. » Posterior sensus magis arrideat.

537. *Animusque nunquam conjugis junctus*. Vid. cit. *Une fête de Néron*, act. II, sc. IV: « NÉR. Plus de pitié.... *Toujours elle me fut contraire.* SÉN. Quel est son crime? NÉR. Un crime?... elle a pleuré son frère. Un crime? en murmurant on prononce son nom. Parce qu'un peuple l'aime, il faudra l'aimer!... Non. *Rien de vif, d'animé, rien qui ravisse l'âme; Jamais d'enchantement, toujours un air de blâme.* »

539. *Pudore*. Ubi verecundia impedit, quominus amorem ostendat suum. — BERNARDIN DE SAINT-PIERRE, *Paul et Virginie*: « Une jeune fille qui aime, croit que tout le monde l'ignore. Elle met sur ses yeux le voile qu'elle a sur son cœur. »

543. *Quod*. Quo ultionis genere suum mei contemtum referre et punire statui.

544. *Conjugem*. Scil. Poppæam.

Genere atque forma, victa cui cedat Venus,
Jovisque conjux, et ferox armis Dea.
SEN. Probitas, fidesque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito : sola perpetuo manent
Subjecta nulli mentis atque animi bona.
Florem decoris singuli carpunt dies.
NERO. Omnes in unam contulit laudes Deus,
Talemque nasci fata voluerunt mihi.
SEN. Recedat a te, temere ne credas, amor.
NERO. Quem submovere fulminis dominus nequit,
Cæli tyrannum, sæva qui penetrat freta,
Ditisque regna, detrahit Superos polo.

545. *Victa cui.* Cui tres illæ Deæ cedant, ut quondam duæ Veneri sub Paride judice. *Venus.* Vid. *Une fête de Néron*, act. I, sc. II : « NÉR. Poppée avant la nuit deviendra mon épouse; Et si quelqu'un contre elle ose invoquer les dieux, J'écraserai du pied ce reptile odieux. Que j'aime de ses yeux l'agaçante folie ! Dans l'Olympe enivré *Vénus est moins jolie.* »

546. *Ferox armis Dea.* Minerva.

549. *Subjecta nulli*, Quæ sunt in nostra potestate, ἐφ' ἡμῖν. Seneca, Epist. 42 : « Propria virtus est in vite, fertilitas : in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram : multum serit, multum fœnerat : nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari : quod proprium est hominis. Quæris quid sit? animus, et ratio in animo perfecta. »

550. *Florem*, etc. Ovid. Art. Amat. II, 113 : « forma bonum fragile... Carpitur et spatio fit minor ipsa suo. » Et affatim mille in millium scriptorum locis sententiam hanc invenias.

551. *Omnes in unam.* De Poppæa Tacit. Annal. XIII, 45 : « Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum : quippe mater ejus ætatis suæ feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat : opes claritudini sufficiebant : sermo comis, nec absurdum ingenium : modestiam præferre, et lascivia uti : rarus in publicum egressus, idque velata parte oris. » Commentarium vetus tradit hanc adeo diligentem colendæ formæ fuisse, ut eam in exsilium quinquaginta asinæ sint subsequutæ, quarum lacte candorem corpori conciliabat. Inventrix etiam medicamenti, quod ab ea Poppæanum, de quo Juvenal. Sat. VI, vs. 461.

553. *Temere ne credas.* Interruptio est, vim addens orationi.

554. *Fulminis dominus.* Jupiter.

SEN. Volucrem esse Amorem fingit immitem Deum
Mortalis error, armat et telis manus,
Arcusque sacros miscuit sæva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est; juventa gignitur; luxu, otio
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem si fovere atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit exstinctus suas.
NERO. Hanc esse vitæ maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur : interitu caret,
Quum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi jugales præferat tædas Deus,
Jungatque nostris igne Poppæam toris.
SEN. Vix sustinere posset hos thalamos dolor

Vid. Hippolyt. v. 186, unde hæc (nost. edit. vol. II, p. 20).

557. *Volucrem esse Amorem fingit immitem Deum.* Vide loc. omnino similem, Hippol. vs. 195.

559. *Arcus sacros.* Quibus error humanus divinum quoddam addere voluit, ut delictis amatoriis esset venia.

566. *Hanc vitæ causam*, quæ voluptatis et generationum fons est.

569. *Qui truces.* Virg. Georg. III, 242 : « Omne adeo genus in terris, hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres In furias ignemque ruunt. » Hipp. 335 : *Mulcet feras.* BUFFON, *Histoire naturelle, nature des animaux* (*édit. de Lacépède*, vol. V, pag. 581): « Amour ! désir inné! âme de la nature ! principe inépuisable d'existence ! puissance souveraine qui peux tout, et contre laquelle rien ne peut; par qui tout agit, tout respire et tout se renouvelle ! divine flamme ! germe de perpétuité que l'Éternel a répandu dans tout avec le souffle de vie ! précieux sentiment qui *peux seul amollir les cœurs féroces et glacés*, en les pénétrant d'une douce chaleur ! cause première de tout bien, de toute société, qui réunis sans contrainte et par tes seuls attraits les natures sauvages et dispersées ! source unique et féconde de tout plaisir, de toute volupté ! Amour ! pourquoi, etc. »

570. *Hic mihi.* Cupido mihi auspex præferat faces nuptiales. Vid. Phœniss. 263.

571. *Jungatque nostris.* Vid. Animadv.

572. *Dolor.* Indignatio.

Videre populi : sancta nec pietas sinat!
NERO. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
SEN. Majora populus semper a summo exigit.
NERO. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
SEN. Obsequere potius civibus placidus tuis.
NERO. Male imperatur, quum regit vulgus duces.
SEN. Nil impetrare quum valet, juste dolet.
NERO. Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces?
SEN. Negare durum est. NERO. Principem cogi nefas.
SEN. Remittat ipse. NERO. Fama sed victum feret.
SEN. Levis atque vana. NERO. Si licet, multos notat.

574. *Facere.* Repudiare uxorem.

575. *Majora.* A principibus, in sublimi specula atque ante oculos omnium positis, exspectant alii ingens vitæ et morum exemplar; multa itaque sibi permittit populus, quæ tamen principi nequaquam permittit.

576. *Libet experiri*, etc. « Volo experiri num ante vim et potentiam stare possit et contra obniti, favor ille quem temere populus concepit erga Octaviam. » Quem quidem favorem infra indicat ipsa Octavia, vs. 646 : « Parcite lacrimis urbis festo Lætoque die; ne tantus amor, Nostrique favor, principis acres Suscitet iras, etc. » Perperam igitur interpres Gallicus, et etiam sine ullo qui bene liqueat, sensu : « Je veux essayer si cette faveur, que Rome m'a si légèrement accordée, pliera sous ma volonté, ou si je la ferai disparaître sans retour. »

581. *Exprimere jus est*, etc. Vid. Animadv. ubi, quamvis difficilis sit locus, nihil credidimus esse mutandum de lectione recepta. Et *jus est*, admittimus dictum a Nerone tamquam per ironiam ut neget. Quasi diceret Senecæ: « Ergo, tua sententia, jure suo agit populus, quum vult exprimere, vi extorquere, quod non potest obtinere per preces. » — *Ferre*, obtinere.

583. *Remittat.* Ipse princeps cedat aliquantulum de jure suo: etsi flecti reges quam vinci non minus turpe existiment. Hippol. vs. 137. — *Victum feret.* Divulgabit, eum cessisse timori.

584. *Levis atque vana*, suppl. est fama; et memora Virgil. Æneid. IV, 174, 188 : « Fama, malum quo non aliud velocius ullum... Tam ficti pravique tenax, etc. » — *Si licet, multos notat.* Si non cavetur, si illius garrulitati licentia permittitur, multos infamia notat. — Optime legeretur, *sit licet.* Ut sic Nero respondeat per ἐπιτροπὴν, levem quidem et vanam

SEN. Excelsa metuit. NERO. Non minus carpit tamen.
SEN. Facile opprimetur : merita te Divi patris,
Ætasque frangat conjugis, probitas, pudor.
NERO. Desiste tandem, jam gravis nimium mihi,
Instare; liceat facere, quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota jam pridem moror,
Quum portet utero pignus, et partem mei.
Quin destinamus proximam thalamis diem?

esse famam, sed nihilominus eam multos infamia notare.

586. *Merita te Divi.* Beneficia Divi Claudii, patris Octaviæ, qui te adoptavit.

587. *Te frangat.* Animum tuum avertat a Poppæa, et possint hæc omnia contumax tuum adversus legitimam conjugem odium frangere.—*Probitas, pudor.* Quum hæc dici queant absolute, convenientius tamen referrentur ad Octaviam ipsam.

590. *Populi.* Desiderantis ex me prolem legitimam, quæ firmet etiam imperium hæreditarium.

591. *Quum portet*, etc. Vid. Animadv. — *Partem mei.* Ovid. E. VII, vs. 134: « *Parsque tui* latitat corpore clausa meo. »

ACTUS TERTIUS.

AGRIPPINA.

TELLURE rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis scelestis : nubat his flammis meo
Poppæa nato juncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, manibus nostris gravis
Adhuc inultis, reddita et meritis meis
Funesta merces puppis, et pretium imperii
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere votum fuerat : haud tempus datum est
Lacrimis; sed ingens scelere geminavit nefas.
Peremta ferro, fœda vulneribus, sacros

Act. III, sc. I. Ab inferis prodit Agrippina, dira auspex faces exitiales præferens nuptiis Poppææ et Neronis, cujus mortem prædicit.

593. *Tellure*, etc. In scenam exsiliebant umbræ mortuorum e Tartareis tenebris emissæ.

594. *Stygiam facem*. Funestam, exitialem. Med. vs. 15.

595. *Nubat*. Vertat nuptialem facem in feralem et funebrem.

597. *Vertet ad*. Mutabit in.

598. *Manet*. Virg. Æneid. VI, 443 : « Curæ non ipsa in morte relinquunt. » OEdip. vs. 618. — *Cædis*. Sup. vs. 360.

600. *Reddita et meritis*, etc. Et insidiæ quas in navi mihi exstruxit Nero, ut mihi redderet mercedem meorum beneficiorum.

601. *Imperii*. Neroni mea opera parti. Sup. vs. 237.

602. *Deflevi*. Sup. vs. 239.

603. *Comitum*. Crepereii Galli, et Aceroniæ.

604. *Votum fuerat*, meum.

606. *Sacros Intra penates*. In villa Augusta Lucrini lacus.

Intra penates spiritum effudi gravem,
Erepta pelago: sanguine exstinxi meo
Nec odia nati; sævit in nomen ferus
Matris tyrannus: obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos destruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam
Puero regendum noster infelix amor.
Exstinctus umbras agitat infestus meas
Flammisque vultus noxios conjux petit,
Instat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque: nati poscit auctorem necis.
Jam; parce, dabitur: tempus haud longum peto.
Ultrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno; verbera, et turpem fugam,

607. *Gravem*, cum dolore cruciatibusque exhalatum.

609. *Sævit in nomen matris.* Natalem Agrippinæ inter nefastos referri dies a senatu impetraverat Nero, statuas demolitus, nomen et titulos ubique, ipsamque ejus memoriam delere conabatur. Vid. *Une fête de Néron*, act. IV, sc. VII: « PARIS. Nous plaçons sa naissance au rang des jours affreux. ANIC. Oui, Rome effacera son nom de nos annales; Jusques au sein profond des ombres infernales, Que d'un peuple indigné les suprêmes adieux De l'Achéron contre elle aillent armer les dieux. »

611. *Simulacra.* Mortem iis minatus est Nero, quicumque mei simulacra habuerint. — *Tit. destruit.* Vid. Anim. — Tragœdia citata, eod. loco: « Que ses marbres proscrits, privés de tout hommage, De Poppée, en tombant, vengent l'auguste image. »

612. *Quem dedit.* Cujus orbis imperium ego infelix illi, vix ephebo, dedi, ut et mihi vitam eripere posset.

614. *Agitat.* Persequitur, insectatur.

615. *Conjux.* Claudius.

616. *Imputat fatum mihi*, etc. Mors enim ejus celata est, dilataque sepultura, donec circa successorem omnia ordinarentur.

617. *Nati.* Britannici. — *Auctorem.* Neronem.

620. *Verbera.* Ubi descivisse Galbam et Hispanias cognovit, collapsus diu inter mortuos jacuit; ut resipuit, capite converberato, actum de se pronuntiavit. — *Turpem.* Hostis a senatu judicatus et quæsitus, ut puniretur more majorum, nudo pede et tunicatus, conscenso equo, fugit ad Phaontis suburbanum, in quod ut clam introivit, quadrupes per effossæ cavernæ angustias receptus est.

Pœnasque, queis et Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
Licet exstruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Servent cohortes, mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempusque, quo reddat suis
Animum nocentem sceleribus, jugulum hostibus,
Desertus, et destructus, et cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea!
Quo te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, nate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo scelere occidit!
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi,
Aluique, sævæ nostra lacerassent feræ
Viscera! sine ullo scelere, sine sensu innocens

621. *Tantali*. Thyest. vs. 142. Nero autem, « dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta lacuna potaturus manu hausit, et, Hæc est, inquit, decocta Neronis. » Ut narrat ad verbum Sueton. Nero, cap. XLVIII.

622. *Dirum lab. Sisyphi*. Hipp. 1237 sq. — *Tityi*. Hipp. 1233.

627. *Exhaustus*. Exactionibus. — *Supplices*. Quod fecerunt primum per Tiridatem; sed postea, et quidem rebellantes, Armeniam invaserunt. FARN.

629. *Reddat suis sceleribus*. Reddat in pœnam suorum scelerum.

630. *Jugulum*. Ubi appropinquasse equites audiit, quibus præceptum ut vivum eum attraherent, ferrum trepidanter jugulo adegit. Sueton. loco supra citato.

631. *Desertus*. Fugientibus custodibus, nec reperto cujusquam manu periret percussoris. — *Destructus*, dejectus sede regia: « Ergo, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum. » — *Cunctis*. Fame et siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem aliquantum bibit.

633. *Quo te furor provexit*. Sensus: quo furore mentis accensus, o nate, ausus es tot scelera, quæ tanta sunt, ut digne iis irasci nequeam, nec inveniam, quomodo ego umbra, et mater adeo læsa, satis succenseam tibi, qui me tam crudeliter occidisti.

Meus occidisses : junctus atque hærens mihi,
Semper quietam cerneres sedem Inferûm,
Proavos, patremque, nominis magni viros;
Quos nunc pudor, luctusque perpetuus manet,
Ex te, nefande, meque, quæ talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, conjux, mater infelix meis?

OCTAVIA, CHORUS.

OCT. Parcite lacrimis urbis festo
Lætoque die; ne tantus amor,
Nostrique favor principis acres
Suscitet iras, vobisque ego sim
Causa malorum : non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt;
Graviora tuli : dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.
Non ego sævi cernere cogar

639. *Meus occidisses*. Id est, mihi commortuus fuisses infans et innocens. — *Meus*. Scilicet, quem non puderet agnoscere apud inferos, ubi nunc me « pudor luctusque perpetuus manet ex te, nefande, » ut mox loquitur, vs. 642.

640. *Semper quietam sedem Inferûm*. Eam Inferorum sedem, quæ semper est quieta, i. e. campos Elysios, innocentibus reservatos.

643. *Meque*. Et ex me. — *Quæ talem tuli*. Ut recte dicatur *luctus* et *pudor*, necesse est, *tuli*, admissum esse non tantum pro *genui*, sed pro, *fovi*, *educavi*, *formavi*.

644. *Quid cesso*. Cur moror. — *Tegere Tartaro*, odiosa scilicet mortalibus, et diras in me provocatura, si diutius adsim super terram.

645. *Noverca*. Britannici noverca, Claudii conjux, Neronis mater.

ACT. III, sc. II. Octavia, dissimulata tristitia, faventem sibi populum orat, ne divortium sui lugeat. Chorus tamen ipsius vicem dolet.

646. *Urbis*, junge cum *die*. — *Festo*. Principis nuptiali, geniali.

648. *Nostri favor*. Vester erga me favor.

650. *Non hoc primum*, etc. Conjugium quod cum Poppæa Nero meditatur.

652. *Graviora*. Scilicet, et prima repudia, et cædem Britannici.

653. *Vel morte*. Si non alia ratione, certe per mortem.

Conjugis ora;
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulæ : soror Augusti,
Non uxor, ero.
Absint tantum tristes pœnæ,
Letique metus. Scelerum diri,
Miseranda, viri potes hæc, demens,
Sperare memor? hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funesta cades. Sed quid patrios
Sæpe penates respicis udis
Confusa genis? propera tectis
Efferre gradus : linque cruentam
Principis aulam.
CHOR. En illuxit suspecta diu
Fama toties jactata dies!
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos jam victrix Poppæa tenet,

655. *Conjugis*. Dormitat Farnab. dum hic adnotat: « Poppææ. » Nero est, quem *conjugem* appellat *sævum*, meditantem ad gravissima contra ipsam invehi.

656. *Non i. intr.* Non cogar intrare thalamos famulæ invisos mihi.

657. *Soror*. Certe soror, ut prope inquit Juno, in Hercul. Fur. vs. 1, ubi vide not.

659. *Tantum*. Quo saltem aliquid proficiam, titulum uxoris deponendo.

660. *Scelerum diri*. Vid. Animadv. — Cæterum hæc explica : « at o miseranda, o demens Octavia, potes hæc sperare, memor et non oblita scelerum detestabilis viri? tibi scilicet ut parcat, qui parcere solitus nemini? »

662. *Hos ad thalamos*. Ut huic marito nuberes.

666. *Confusa*. Variis sensibus turbata. — *Genis*, oculis.

669. *Suspecta fama jactata*. Quam prænuntiaverat fama vix credita. *Suspecta* ergo ad *fama* referatur, et ablativus est; *jactata* ad *dies*, et est nominativus.

671. *Claudia*. Octavia, Claudii filia; sic illa vocatur frequenter, propter gentis Claudiæ nobilitatem : quæ ante Tiberium consulatibus XXX, dictaturis V, censuris VII, triumphis VI, ovationibus II, fuit illustris, teste Suet. in Tiberio.

Cessat pietas dum nostra, gravi
Compressa metu, segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi?
Fregit claros quæ sæpe duces,
Dedit invictæ leges patriæ,
Fasces dignis civibus olim,
Jussit bellum pacemque, feras
Gentes domuit, captos reges
Carcere clusit? Gravis en oculis
Undique nostris jam Poppææ
Fulget imago juncta Neroni:
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominæ,
Ipsamque toris detrahat altis:
Petat infelix mox et flammis
Telisque feri principis aulam.

674. *Cessat*. Iners languet. — *Nostra*, nostri, Romanorum degenerum.

675. *Segnis dolor*. Gallice: « notre stérile ressentiment. »

677. *Duces*. Syphacem, Persea, Jugurtham, Herodem, etc.

678. *Dedit invictæ leges patriæ*. Eam innuit Chorus vim salutarem, ex sapientissimo totius civitatis consensu procreatam, quæ bellatores, exterum invictos, legum freno sponte subditos retinebat.

679. *Dignis*. Quum contra nunc imperitent minime digni.

685. *Affligat*. Id est, quin Poppææ has imagines manus nostra illidat.

686. *Simil. nim*. Et ideo odiosos.

688. *Petat infelix*. Vid. Animadv. — *Infelix*. Neroni funesta.

689. *Feri*, tyranni, Neronis.

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX, POPPÆA.

NUTR. Quo trepida gressum conjugis thalamis tui
Effers, alumna? quodve secretum petis
Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certe petitus precibus et votis dies
Nostris refulsit. Cæsari juncta es tuo
Tæda jugali : quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ, tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta pressisti toros
Residens in aula! vidit attonitus tuam

ACT. IV, sc. 1. Territa in somno Poppæa nutrici narrat somnium; quam illa solatur, vana narrationem eludens interpretatione.

692. *Turbata vultu?* Etenim Poppæa exibat thalamo Neronis seminuda.

695. *Cepit decor.* Vid. Animadv.

696. *Culpa Senecæ.* Quod Neronis amorem improbando, vs. 437 seqq. id magis accenderat. Nam, ut ait Plautus, Trinum. III, 2, 42: « Ita est amor; balista ut jacitur: nihil sic celere est, neque volat, Atque is mores hominum moros et morosos efficit. Minus placet, magis quod suadetur : quod *dissuadetur*, *placet*. Quum inopia 'st, cupias; quando ejus copia 'st, tum non velis. Ille *qui aspellit*, *is compellit* : ille qui consuadet, vetat. » Quicum concinit Ovidius, Amor. III, 4, 17 : « Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. » Et Rem. Amor. vs. 133 : « Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando, Temporibus si non adgrediare suis. » Nescimus an hæc unice possit admitti vocis *culpæ* explicatio. Fere assentirem Delrio, triplicem ponenti culpam : quod dissuadendo vehementius Neronem impulerit : quod Agrippinæ tollendæ fuerit auctor : quod discipulorum delicta in magistrum retorqueantur. »

698. *Altos quanta pressisti toros?*

Formam Senatus, tura quum Superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput,
Et ipse lateri junctus atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Incessit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo: talis emersam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin:
Quorum toros celebrasse Cælestes ferunt,
Pelagique numen omne consensu pari.
Quæ subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrimæ, doce.
POP. Confusa tristi proximæ noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta sensu. Læta nam postquam dies
Sideribus atris cessit, et nocti polus,
Inter Neronis juncta complexus mei

Discubitorios toros hic suspicatus est Farnabius, credo, quod in iis, aptius quam in jugalibus resideret sponsa. Sed hac cura abstinere jubet mox versus 726: « Toros cerno jugales pariter et miror meos, in quels resedi fessa. » SCHROED.

700. *Tura*. In nuptiis, aquæ et ignis sacramenta adhibita, quæ calorem et humorem ad fetum denotarent: hinc faces et tura, necnon vini libatio: neque enim uxor, nisi peractis sacrificiis, ducebatur.

701. *Aras m.* Sacrificantes vinum e patera aris, vel prunis, vel turi dato superfundebant: ideo rite hic datio turis libationi præmittitur.

702. *Flammeo*. Velamento luteo seu rubro, quo novas nuptas tegi moris erat pudoris gratia, vel in subjectionis symbolum.

704. *Læta omina*. Loquitur de ominibus novæ Augustæ bene precantium: de quibus acclamationibus nuptialibus diximus ad Med. 58: de his etiam Tacitus, Annal. XV, c. 23: « Jam senatus uterum Poppææ commendaverat diis, votaque publice susceperat; quæ multiplicata exsolutaque: et additæ supplicationes, templumque fecunditati, etc. » DELR.

706. *Talis emersam*. Ut canit Coluth. vs. 20: Πᾶσα δὲ κυδαίνουσα θεῶν ἔσπευδε γενέθλη Αὐτοκασιγνήτην λευκώλενον Ἀμφιτρίτης, κ. τ. λ.

712. *Confusa tristi*, etc. Cf. ad calcem tragœd. p. 291, imitationem gallicam hujus loci.

715. *Sideribus atris*, etc. Vide Animadv. — *Atris*. Nocturnis. — *Et nocti polus*. Suppl. venit, adfuit;

Somno resolvor; nec diu placida frui
Quiete licuit : visa nam thalamos meos
Celebrare turba est mœsta ; resolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum sæpe terribilem sonum
Sparsam cruore conjugis genitrix mei
Vultu minaci sæva quatiebat facem :
Quam dum sequor, coacta præsenti metu,
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu : lata quo præceps, toros
Cerno jugales pariter et miror meos,
In queis resedi fessa : venientem intuor
Comitante turba conjugem quondam meum,
Natumque : properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula;
Irrumpit intra tecta quum trepidus mea,
Ensemque jugulo condidit sævum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor :
Quatit ora et artus horridus nostros tremor,
Pulsatque pectus : continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu, quid minantur Inferûm manes mihi,

aut aliquid simile. I. e. quum nox occupavit polos.

719. *Celebrare.* Affluenti concursu circumdare. — *Resolutis.* Quod in luctu fieri solet. Troad. 84.

722. *Conjugis gen.* Agrippina.

723. *Facem.* Sup. 595.

726. *Lata quo.* Huc ego delata.

727. *Pariter.* Mecum depressos; nisi hæc vox forsan referri debeat ad *miror* : « Cerno pariter et miror, i. e. miror quum cerno; cerno mirabunda. »

729. *Conjugem.* Crispinum, equitem Romanum.

730. *Natumque.* Rufum Crispinum Poppææ natum, quem impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari dum piscaretur, servis ipsius demandavit Nero. Farn.

731. *Crispinus.* Conjux.—*Intermissa.* Longo sibi desueta intervallo.

732. *Tecta mea.* Tecta vocat sua, thalamum in quo imaginabatur genialem torum.

Aut quem cruorem conjugis vidi mei?
NUTR. Quæcumque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer et arcanus refert
Veloxque sensus : conjugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris, amplexu novi
Hærens mariti? sed movent læto die
Pulsata palmis pectora, et fusæ comæ.
Octaviæ discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris, et patrium larem.
Fax illa, quam sequuta es, Augustæ manu
Prælata, clarum nomen invidia tibi
Partum ominatur. Inferûm sedes toros
Stabiles futuros spondet æternæ domus.
Jugulo quod ensem condidit princeps tuus,
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum : recipe lætitiam, precor,
Timore pulso : redde te thalamis tuis.
POP. Delubra et aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen Deûm,

740. *Infestus vigor*. Vivida vis animi, quæ nos cruciat.

741. *Ea per quietem*, etc. Petronius : « nam, quum prostrata sopore Urget membra quies, et mens sine pondere ludit, Quidquid luce fuit, tenebris agit, etc. »

744. *Sed movent*, etc. Ea quæ movent, territant te, non vera sunt; sed solummodo gignuntur hi pavores, quia tibi præsentes sunt adhuc etiam dormienti, mulieres quæ Octaviam lugent, quæque triumphum tuum detestatæ, intra Britannici penates, planxerunt discidium reginæ.

747. *Fratris*. Britannici. — *Patrium*. Claudii.

748. *Augustæ manu*. Agrippinæ.

750. *Inf. sed*. Cujus æternæ leges.

751. *Æternæ domus*. Domus tuæ quæ fiet æterna.

752. *Princeps*. Nero.

753. *Pace ferrum teget*. Placabilem continebit gladium.

757. *Litare*. Romani mola salsa, Græci vivo flumine nocturnos terrores expiabant. — *Numen Deûm*. Qui placati infausta somniorum omina credebantur avertere. FARN. — At quorum Deûm? num *Telluris* et *Heroum*? sic opinor : quia Hippocrates, De insomniis, auctor est, secundis in rebus Jovem cælestem, Jovem opulentum, Solem, Minervam, Junonem, Mercurium

Ut expientur noctis et somni minæ,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Tu vota pro me suscipe, et precibus piis
Superos adora, manet ut præsens metus.

CHORUS.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta et gratos narrat amores;
Quem modo Ledæ pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt;
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem;
Quæ regit, et nunc deseret astra,
Petet amplexus, Poppæa, tuos;

et Apollinem supplicationibus adiri solere: in adversis vero, pro malis averruncandis, placari consuevisse Tellurem et Heroes malorum averruncatores, quos noctu multum pollere probat Athenæus, lib. II. Quibus addes, me auctore, *Jovem prodigialem*, de quo Plautus in Amphitruone, act. II, sc. II, vs. 106: « Recte dicit; ut commeminit, somnium narrat tibi, Sed mulier, postquam experrecta 's, prodigiali Jovi Aut mola salsa hodie, aut ture comprecatam oportuit. » Delr.

759. *Terrorque in hostes red. atton. meos.* Moris fuisse imprecantibus ea in hostes suos avertere mala quæ ipsi reformidabant, probatur et ex multis, et ex Georg. III, vs. 512: « ipsique suos jam morte sub ægra (Dî meliora piis, erroremque hostibus illum!) Discissos nudis laniabant dentibus artus. »

761. *Manet.* Diffluat, abeat; a *mano, as.*

Act. IV, sc. II. Laudat Chorus Poppææ formam. Et is est alter Chorus, nec qui jam prodiit, aut prodibit.

762. *Vera.* Refer ad *furta.*

763. *Furta.* Furtivos amores. — *Gratos.* A fronte quidem gratos, bellos ac mellitos primum: sed γλυκυπίκρους, quorum exitus amarus super aloen et absinthium.

764. *Quem modo.* Hippol. 301.

765. *Plumis,* quæ corpus tegunt. — *Pennis,* quæ alas constituunt.

766. *Modo.* Jupiter enim, in taurum mutatus, Europam filiam Agenoris e Phœnicia in Cretam transfretavit.

768. *Quæ regit.* Ordo: Deseret astra quæ nunc regit et petet tuos amplexus, o Poppæa.

Quos et Ledæ præferre potest;
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danae, fluxit in auro.
Formam Sparte jactet alumnæ
Licet, et Phrygius præmia pastor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiæque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NUNTIUS, CHORUS.

NUNT. Quicumque tectis miles exsultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes ecce præfecti trahunt
Præsidia ad urbis; victa nec cedit metu

771. *Cui miranti.* Cui novitatem rei stupenti in gremium per aureum impluvium cecidit. Conf. sup. vs. 203.

773. *Alumnæ.* Helenes, candidæ quidem utpote Jove cycno genitæ, teneræ utpote ovo exclusæ.

774. *Phrygius.* Paris. — *Præmia*, Helenam, judicii quod tulerat, mercedem.

775. *Tyndaridos.* Helenæ Tyndari putativæ filiæ.

776. *Qui moverunt.* Qui vultus moverunt horrida bella.

779. *Aut*, pro *et*. — *Portat.* Ille qui ruit.

Act. IV, sc. III. Nuntius motum populi narrat ob repudiatam Octaviam nuptiasque Poppææ.

780. *Quicumque.* Quotquot stationis Palatinæ milites estis. — *Exsultat.* Propter insolentiam σωματοφυλάκων. Farn. — Tacite enim taxat satellitum naturam tumidam tum et cornupetam, quum admissionum res est: sub periculum vero principis sui, meræ sunt oviculæ. Grut. — *Ducis.* Neronis.

781. *Aulam.* Palatium.

782. *Trepidi cohortes*, etc. Præfecti vel tribuni prætoriani festini ducunt cohortes suas ad præsidia urbis. Farn. — Tigellinus et Rufus metu pavidi, pavidos etiam et cunctantes prætorianos, qui in castris degebant, non tam adducunt quam vi trahunt. Possis etiam per præfectos intelligere tribunos prætorianos, quibus singulis mille milites parebant: lege Fabri Semest. lib. I, cap. 3. Delr.

783. *Præsidia ad urbis.* Ad co-

Concepta rabies temere, sed vires capit.
CHOR. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
NUNT. Octaviæ furore perculsa agmina,
Et efferata per nefas ingens ruunt.
CHOR. Quid ausa facere, quove consilio, doce.
NUNT. Reddere penates Claudiæ Divi parant,
Torosque fratris, debitam partem imperii.
CHOR. Quos jam tenet Poppæa concordi fide?
NUNT. Hic urit animos pertinax nimium furor,

hortes vigilum; quas Augustus septem constituerat, ut binas quæque urbis regiones tueretur. Leg. 3 Dig. de offic. præfect. vigil. de quibus Statius, Silv. lib. I: « Ergo alacres quæ signa colunt urbana cohortes. » Tiberii tempore, tres tantum erant, quum prætoriæ plures essent: post Tiberium, rursus auctæ urbanæ, ut ex Tacito, qui aperte prætorias ab urbicis distinxit, docet Lesius, Comment. lib. VI, cap. I. Has urbanas cohortes nuntiat victas, et iis suppetias ire latum prætorias, quæ in castris erant; quin, jam propinquas esse consternato populo; qui, licet videat illas instructis ordinibus signa inferre, resistit tamen, nec metu cedit; sed magis furore accenditur. Delr.

784. *Concepta temere.* Ne intelligas, quam nulla accenderat causa (qui enim posset sic intelligi?) sed primo impetu irruens, nec consilium meditata. Ergo, *vires capit*, indicat, furorem illum auxilia sibi postea adsumsisse, nec jam temeritatis nomine designandum esse.

786. *Octaviæ furore.* Intelligi vult Schrœderus *furore*, indignatione, qua sentiant Octaviam commoveri ob repulsam. Multo melius, ni fallimur, intelligas, « *furore*, quem conceperunt (agmina), respectu Octaviæ. » Ut Græcis et postea Latinis invaluit hic genitivi usus. — *Agmina.* Multitudo populi.

787. *Per nefas ingens.* Hæc me pigeat jungere cum *ruunt.* Quomodo enim nefas ingens vocaretur, reddere Octaviæ penates patrios, toros legitimos, et partem debitam imperii (789, 790). Ergo, *efferata per nefas* intellexerim, « quibus furorem injecerunt immania Neronis facinora. »

789. *Reddere.* Reddere Octaviæ penates Claudii et Neronis nuptias. — *Claudiæ Divi*, etc. Vid. Anim.

790. *Fratris.* Neronis.

791. *Concordi fide.* Consentiente Nerone.

792. *Hic urit animos pertinax nimium furor, Et in furorem temere præcipites agit.* Quomodo potuit Farnabio *pertinax furor* explicari, indignatio ex his nuptiis? Nonne inde series sententiæ esset, « Hic furor agit in furorem? » et quis toleret? *Furor pertinax*, intelligendum ergo de Nerone, qui nefandum hymenæum pertinaci cum

Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcumque claro marmore effigies stetit,
Aut ære fulgens ora Poppææ gerens,
Afflicta vulgi manibus, et sævo jacet
Eversa ferro : membra per partes trahunt
Deducta laqueis : obruunt turpi diu
Calcata cœno : verba conveniunt feris
Immixta factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis principis sedem parant,
Populi nisi iræ conjugem reddat novam,
Reddat penates Claudiæ victus suos.
Ut noscat ipse civium motus, mea
Voce haud morabor jussa præfecti exsequi.

CHOR. Quid fera frustra bella movetis?
 Invicta gerit tela Cupido,

furore conficit, et ipse furorem populi concitat. Somniante pariter hic interprete Gallico, vertas : « C'est l'opiniâtre fureur du tyran qui les enflamme, et leur inspire à leur tour une fureur aveugle. » — *Favor* magis placeret, si permitteret sensus.

794. *Claro marmore*. Vid. Anim.

795. *Aut ære fulgens*. Quæcumque statua aut e marmore illi facta, aut ex ære, corruit.

797. *Per partes*. Lacerata.

798. *Deducta*. Καθαιρηθέντα, resti et laqueis ex alto dejecta.

799. *Verba conveniunt feris Immixta factis*. Ad hæc facta, quæ sero nimis (scilicet postulante jam dudum vindictam pudore et dignitate Romanorum) egerunt, Romani addunt sermones, etc.

800. *Quæ timor recipit meus*. Hic est *recipere* verbum antiqui juris Romani, et notat, sibi reservare (hic autem præ verecundia), non etiam expromere una cum reliquis, hoc est, *silere*.—Vid. Anim.

801. *Sepire*. Circumdare.

803. *Victus*. Ut victoriæ, si non justitiæ, vocem agnoscat.

806. *Quid fera bella movetis*. Hæc Chorus, postquam exiit nuntius. — Hic interpres Gallicus in notis : « Il est difficile de croire que Sénèque eût fait tenir un pareil langage, eût accumulé d'aussi extravagantes comparaisons, au moment où le courrier vient annoncer les excès auxquels le peuple se porte dans sa fureur, en admettant même que le chœur fût composé, comme je le crois, de partisans de Poppée. Aussi, en faisant même abstraction de la latinité et du style de cette pièce, il est difficile de penser que Sénèque en soit l'auteur. »

Flammis vestros obruet ignes:
Queis exstinxit fulmina sæpe,
Captumque Jovem cælo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine vestro : non est patiens
Fervidus iræ facilisque regi.
Ille ferocem jussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit urbes.
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta Dei.

809. *Queis.* « Ille suis sævos compescuit ignibus ignes Sæpe Jovis. » Ut fere canit de Phaethonte Ovidius, Trist. IV, III, 65.

810. *Traxit.* Descendere coegit.

813. *Iræ*, junge cum *patiens.* — *Fervidus.* Sic Horat. Od. I, 30, 5, puer *fervidus*, λάβρος ἔρως : amor passim cum igne comparatur : sic Od. II, 8, 15, Cupido ferus inducitur, semper ardentes acuens sagittas cote cruenta : sic ap. Virgil. Æn. IV, 2, Dido simul et amoris *vulnere saucia*, et amoris *igne uri* dicitur : quo utroque modo explicatur vs. 819, *Vis violenta*, etc.

814. *Ille*, Amor. — *Ferocem.* Propter ereptam Briseida iratum, Troad. vs. 225.

815. *Danaos.* Diutino bello Trojam expugnantes recuperandæ Helenæ gratia.

816. *Atridem.* Agam. vs. 175. Horat. Od. II, 4, 7.

818. *Quid ferat.* Quid consilium inspiret Neroni.

ACTUS QUINTUS.

NERO, PRÆFECTUS.

NERO. O lenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Exstinguit in nos, cæde nec populi madet
Funerea Roma, quæ viros tales tulit!
Admissa sed jam morte puniri parum est,
Graviora meruit impium plebis scelus.
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta conjux et soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Iramque nostram sanguine exstinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis.
Ignes, ruinæ, noxium populum premant,
Turpisque egestas, sæva cum luctu fames.

ACT. V, SC. I. Æstuans ira Nero propter tumultum populi, in ipsum sæviri jubet, et Octaviam, veluti motus causam, deportatam in Pandatariam, interfici.

822. *Cruor civilis*. Cruor civium. — *In nos*. Junge cum *accensas*, in vs. sqq.

824. *Funerea*. Vid. Animadv.— *Viros tales*. Accipiendum pro, iis qui evertere volunt potentiam Neronis.

825. *Admissa*, quæ vocat ille flagitia.

827. *Et illa*, Octavia. —*Subicit*, exponit, tradit.

829. *Dolori spiritum reddat meo*. iræ meæ explendæ gratia, vitam amittat.

831. *Mox tecta*. Hoc postea fecit incendiarius imperator; et sævientem jam per sex dies septemque noctes ignem ac incendium ipse e turri Mæcenatiana prospectans, lætus flammæ pulchritudine, ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit.

833. *Turpis egestas*. Hoc est, de-

Exsultat ingens sæculi nostri bonis
Corrupta turba : nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest,
Sed inquieta rapitur : hinc audacia,
Hinc temeritate fertur in præceps sua.
Malis domanda est, et gravi semper jugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos conjugis vultus meæ
Attollere oculos : fracta per pœnas metu
Parere discet principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota præposuit meis.
PRÆF. Populi furorem cæde paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
NERO. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?
Compescis! hæc vindicta debetur mihi?
PRÆF. Cecidere motus impii ferro duces.
NERO. Quid? illa turba, petere quæ flammis meos

formis, sordida; vid. Æneid. VI, 276. — *Sæva cum luctu fames*. *Mœstam famem* dixit Seneca Herc. F. vs. 691.

834. *Exsultat.* Luxuriat (scilicet) ex clementia principis (tyranni) nec patitur longæ pacis mala. — *Sæculi nostri bonis*. Junge cum *corrupta*.

841. *Sanctos*, id est, Augustos. — *Conjugis meæ*, Poppææ.

842. *Fracta per pœnas*. Vid. Animadv.

843. *Principis nutu sui. Nutu* pro *nutui* positum est. Sic jam erat supra vs. 484 : « Nutuque terras, maria subjecit tuo. » Et sic *metu* pro *metui* dixit Virgilius, Æn. I, vs. 257.

844. *Rara.* Tigellinum præfectum prætorio, æqualem imperatori pietate.

845. *Nota*, mihi.

847. *Affero.* Annuntio.

848. *Sat est.* Paucorum cæde? — *Sic miles.* Sic, tu miles, exsequutus es imperatoris mandatum? Farn. — *Miles ducem.* Auget crimen, quia militaris disciplinæ vinculum, prompta et fida constat obedientia, nec fere gravius ullum militare delictum censetur, quam contumacia erga ducem. Dig. lib. XLIX, tit. XVI, l. *omne delictum*, § 2.

849. *Compescis.* Vid. Animadv.

850. *Motus impii duces.* Qui seditionem impiam direxerant.

851. *Quid? illa turba.* Cur non et tota turba, quæ petere flammis

Ausa est penates, principi legem dare,
Abstrahere nostris conjugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incesta manu
Et voce dira, debita pœna vacat?
PRÆF. Pœnam dolor constituet in cives tuos?
NERO. Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.
PRÆF. Quam temperet non ira, non noster timor?
NERO. Iram expiabit prima quæ meruit meam.
PRÆF. Quam poscat, ede, nostra ne parcat manus.
NERO. Cædem sororis poscit, et dirum caput.
PRÆF. Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.
NERO. Parere dubitas? PRÆF. Cur meam damnas fidem?
NERO. Quod parcis hosti. PRÆF. Femina hoc nomen capit?
NERO. Si scelera cepit. PRÆF. Estne, qui sontem arguat?
NERO. Populi furor. PRÆF. Quis regere dementes valet?
NERO. Qui concitare potuit. PRÆF. Haud quemquam reor.
NERO. Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,

ausa est, etc. pro merito pœnas motus dedit?

854. *Quantum licuit.* Scilicet, in statuis et imaginibus.

856. *Pœnam.* Anne iratus pœnas exiges? et ex dolore solum, non ex clementia consilium capiens.

858. *Quam temperet.* Constituesne pœnam, cui non tu ipse, veritus postea amentiam iræ tuæ, statuere poteris terminos, cui non timor noster ponat modum?

859. *Iram.* Illa prima expiabit iram meam, quæ meruit.

861. *Sororis.* Octaviæ.

862. *Victum.* Me, Imperatorem.

864. *Femina.* Hostisne nomen in feminam cadit?

865. *Si scelera.* Si scelera capit, capit et nomen hostis.

867. *Haud q. reor.* Supple, esse qui *regere dementes* valeat.

868. *Mulier.* Mulier potuit, cui mala mens, malus animus : vel Octaviam intellige. Cic. pro Cluent. cap. 184, de Sassia : « En hoc illud est, quod ante dixi : *mulier* abundat audacia : consilio et ratione deficitur. »

870. *Ut ne.* Pro simplici *ne*.

Fratris cerno miseranda ratem.
Hæc est, cujus vecta carina
Quondam genitrix, nunc et thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi : regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quæ lacrimis nostris questus
Reddet aedon? cujus pennas
Utinam miseræ mihi fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri, procul et cœtus
Hominum tristes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore, et tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture mœstum fundere murmur.

ad Div. IV, 2 : « Si, quid rectissimum sit, quærimus, perspicuum est : *si*, quid maxime expediat, obscurum. » Et VII, 11 : « si cito te retuleris, sermo nullus erit : *si* frustra diutius abfueris, etc. »

907. *Ratem*. Sutilem illam, quam in matris exitium commentus est Nero frater meus, sup. vs. 307.

911. *Nullum numen habet*. Simili locutione, Juvenal. Sat. X, 365 : « *Nullum numen habes*, si sit prudentia. Nos te ; Nos facimus, Fortuna, Deam. »

913. *Erinnys*. Erinnyes autem tres, θεαὶ σεμναὶ καὶ τιμωρητικαί, Tisiphone, Megæra et Alecto, natæ ex guttis sanguinis Saturni verendorum. Agam. vs. 83.

916. *Aedon*. Luscinia. Agam. 670 sq. et Hercul. OEt. v. 198 sq.

918. *Ablata*. Ovid. Metam. I, 306 : « crura nec *ablato* prosunt velocia cervo. »

919. *Fug. procul et cœtus*. In uno ex suis carminibus, tale votum exprimit nostras lyricus *Béranger* : « Puis jusques où naît l'aurore, *Vous, méchants, je vous fuirais.* »

920. *Cædemque feram*. Octavia *cædem* intelligit suam, « et fallerem, inquit, percussores meos, ut Tereum Philomela fefellit ; necem sævam effugerem alis. » Ovid. Met. VI, 666 : « Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro. Corpora Cecropidum pennis pendere putares ; Pendebant pennis : quarum petit altera silvas : Altera tecta subit. » — *Feram*, immanem.

CHOR. Regitur fatis mortale genus;
Nec sibi quidquam spondere potest
Firmum et stabile:
Per quæ casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum
Jam multa, domus
Quæ vestra tulit: quid? sævior est
Fortuna tibi? tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulsit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis; mox exsilium,
Verbera, sævas passa catenas,
Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu. Felix thalamis
Livia Drusi, natisque, ferum

927. *Per quæ.* Hæc sunt explicativa: tanta, tam multa sunt, ea per quæ, etc. Vid. Animadv.

931. *Vestra.* Cæsarea.

934. *Nata Agrippæ.* Agrippina, M. Agrippæ et Juliæ filia, nurus Tiberii Augusti, Germanico conjugi novem liberos peperit.

938. *Pignora.* Amoris conjugalis et privati pignora, pacisque publicæ stabilimenta, ut quæ imperii successionem firment. — *Mox exsilium.* Hanc, post mortem Germanici nullo sermone dignatus est Tiberius; mox inter cœnam porrecta a se poma gustare non ausam vocare desiit: deinde Pandatariam relegavit, conviciantique, per centurionem oculum excussit. Rursus inedia mori destinanti per vim ore diducto cibum infulciri jussit. Postremo voluntaria inedia absumtam criminosissime fuit insectatus, diem illius natalem inter nefastos referendum imperavit, et cadaver in Gemonias projici jussit.

940. *Funera, luctus,* etc. Vid. Animadv.

941. *Felix thalamis.* Scilicet principi commendatissimo feliciter nupta.

942. *Livia.* Livia, Drusi uxor, quia maritum Drusum interfici curarat, Tiberii, cujus nurus erat, neque tormentis neque supplicio parcentis, jussu interfecta fuit.

Ruit in facinus, pœnamque suam.
Julia matris fata sequuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit principis aulam,
Cara marito, partuque potens?
Eadem famulo subjecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in cælum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funesta violata manu
Remigis ante,
Mox et ferro lacerata diu,
Sævi jacuit victima nati?
OCT. Me quoque tristes mittet ad umbras

944. *Julia*. Julia, Drusi filia, matris Liviæ fata sequuta, crimine incerto nec defensione ulla data, a Claudio in exsilium pulsa, mox cæsa est.

947. *Genitrix*. Messalina.

948. *Tua*, o Octavia.

949. *Marito*. Claudio.— *Partuque*. Britannici, prius Germanici dicti.

950. *Famulo*. C. Silio, cui nupsit, sup. v. 16; vel Narcisso liberto. « Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus Paruit imperiis uxorem occidere jussus. » Juvenal. Sat. XIV, 330. (Ed. nost. vol. II, p. 320.)

952. *Quid*. Quid Agrippina? quæ consecrationem et ἀποθέωσιν sperare potuit, ut quæ Augusta Claudii conjux, Neronisque mater: non et illa primum mersa, mox cæsa? etc. De his sceleribus illustrium mulierum vividam cf. exegesin, p. 231, « dedit infandi sceleris pœnas, etc. » Sup. vs. 303, sq.

954. *Non*. Nonne? *Violata manu Remigis*. Vid. *Une fête de Néron*, Act. IV, sc. VIII: « Ne vous a-t-on pas vus, pour étouffer ses cris, La cherchant elle-même au milieu des débris, Redoublant de vos coups l'effroyable tempête, Sous la rame homicide ensanglanter sa tête? »

958. *Me quoque tristes*. Sup. vs. 104. Fingebatur Octavia mitti in exsilium propter adulterium cum Aniceto, et cum tibicine quodam Alexandrino, et delictum insuper abacti partus: falsa et commentitia omnia: « Paucis dehinc interjectis diebus (ut ait Tacitus, Ann. XIV, 64).... restringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur: et, quia pressus pa-

Ferus et manes, ecce, tyrannus.
Quid jam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queis jus in nos
Fortuna dedit : testor Superos.....
Quid agis, demens? parce precari,
Queis invisa es, numina Divûm.
Tartara testor, Erebique Deas
Scelerum ultrices, et te, genitor,
Dignum tali morte et pœna :
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque petat puppis rector
Pandatariæ litora terræ.
CHOR. Lenes auræ, Zephyrique leves,
Tectam quondam nube ætherea
Qui vexistis raptam sævæ

vore sanguis, tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur: additurque atrocior sævitia, quod caput amputatum latumque in Urbem Poppæa vidit. » De Octavia accipio, quod Nicephorus, Hist. Eccl. l. II, c. 37, scribit, Neronem eo crudelitatis processisse, ut matrem, fratrem et conjugem ferro sustulerit : nam Poppæam invitus calce necavit. DELR.

962. *Superos..... Quid agis?* Elegans aposiopesis. Et revocat in memoriam quæ dicit Juno, furore pariter accensa, Virg. Æneid. VII, 312 : « Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. » Sed dum in Virgilio, Dea inferorum numinum potentiam vindictæ suæ velit consecratam, hic Octavia vult tantummodo remedium sibi malis et extremæ miseriæ per mortem inveniri.

963. *Quid agis.* Quum sup. vs. 911, dixerit Superos non esse, nec curare pietatem numina.

967. *Dignum tali morte.* Veneno exstingui ab Agrippina, quod Messalinam interfici jusseras, Agrippinam duxeras. Illud est Octaviæ erga Agrippinam odium, ut patris sui mortem fere approbet, tanquam meritam conjugii cum tali femina initi pœnam.

968. *Mors ista.* Id, quod tu mihi præparas, mortis genus. Vid. vs. sqq.

969. *Armate.* Instruite. — *Date*, committite.

971. *Pandatariæ.* Insula est, ut jam supra, vs. 875, diximus, in Tyrrheni maris sinu Caietano. Vocat Ptolemæus, lib. III, cap. 1, *Pandatoria;* et est hodie *Pandana*. Vid. Animadv.

974. *Sævæ virginis.* Dianæ, quæ

Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoque tristi procul a pœna
Portate, precor, templa ad Triviæ.
Urbe est nostra mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen Superûm: civis gaudet
Roma cruore.

Iphigeniæ pro victima immolandæ cervam substituit, et suis Iphigeniam sacris in Tauride præposuit.

978. *Aulis*, ubi, quum venti retinerent Græcos, Agamemno filiam suam Calchanti trucidandam permisit.

979. *Taurorum barbara tellus.* Ad Tauros Scythiæ populos, et ad Dianæ inhospitam aram, allusum.

980. *Hospitis.* Naufragos omnes Thoas, rex hujus nationis, immolari jubebat. — *Illic*, apud Tauros. — *Litatur*, propitium redditur: inter *litare* et *sacrificare* illud interest: prius est propitiare, votum impetrare: alterum est veniam petere sacrificiis. Virgil. Æn. IV, 50: « posce Deos veniam, sacrisque litatis, etc. »

981. *Numen Superûm.* Potentia Deorum; et in primis, Dianæ, ut vidimus. — *Civis gaudet.* Mulieris quam ipsa Roma genuit, et opponitur hæc vox τῷ *hospitis*, vs. præced.

EXCURSUS
DE OCTAVIA.

Quum meditaremur quænam potissimum ad calcem ultimæ hujus tragœdiæ subjiceremus, ut indicarentur et judicia et variæ imitationes, in mentem venit ante alias exegesis critica, quam versioni gallicæ ejusdem dramatis annexuit Vir illustriss. *Amaury-Duval* (*Théâtre complet des Latins*, vol. XIV, *Sénèque*, tom. III, pag. 500 sqq.) Ea scilicet, quæ a manu proficiscitur multis egregiisque operibus jam illustrata, nobis videtur omnia omnino complecti, quæ de Octavia Latina disseri possunt. Ergo, potius quam latina dialecto uteremur, in quam verba quidem et sententias gallici scriptoris, sed non acumen et elegantiam potuissemus traducere, maluimus adire auctorem ipsum, orantes veniam inserendi hujus gallici Excursus, qualis est, post nostra Commentaria : quod quidem summa cum benignitate concessum nobis gratulamur, gratulabiturque Lector doctissimus, quia nemo literarum progressibus sese totum impensius addixit, et ampliorem doctrinæ copiam exornat honestiore sensu modestiæ, quam his temporibus rarissimam querimur.

*Examen de l'*Octavie*, par M.* Amaury-Duval, *membre de l'Institut (Académie des Inscriptions et Belles-Lettres.)*

« Cette tragédie, dont le sujet a été tiré de l'histoire de Rome sous les empereurs, est la seule de ce genre qui

nous soit parvenue. Monument unique dans l'ancienne littérature latine, elle doit du moins offrir, par cela seul, un intérêt de curiosité (1).

« La plupart des critiques s'accordent à penser que Sénèque n'en est point l'auteur. Ils trouvent d'abord peu vraisemblable qu'il ait osé se placer lui-même au rang des personnages qui jouent un rôle dans ce drame; ils observent ensuite que Sénèque a survécu à peine trois ans à Octavie (2), et que, pendant ces trois années, odieux à un tyran qui ne savait point pardonner, il a passé ses jours dans une perplexité continuelle, qui n'a pas dû lui

(1) Pendant la république, et même sous les deux premiers empereurs, les poètes dramatiques avaient osé mettre sur la scène les traits les plus frappants de l'histoire de Rome. Mais de toutes ces pièces, il ne reste que des *fragments* de deux tragédies, intitulées, l'une *Brutus*, l'ancien; l'autre *Décius*. Pollion, l'ami de Virgile et d'Horace, avait aussi, dit-on, fait une pièce sur la querelle assez récente de César et de Pompée. Mais, dit M. Raynouard, dans son *Discours de réception à l'Académie française*, « dans les temps qui suivirent le règne d'Auguste, les poètes n'auraient plus eu la liberté de traiter des sujets nationaux. Æmilius Scaurus, dans sa tragédie d'*Atrée*, avait imité quelques vers d'Euripide, qui fournirent le prétexte d'une dénonciation. Scaurus recut l'ordre de mourir, et s'y soumit avec courage. Tibère régnait. » Il n'est donc pas étonnant que nous n'ayons qu'une seule tragédie latine, *Octavie*, dont le sujet ait été tiré de l'histoire d'un empereur; et l'on doit même supposer qu'elle a été composée plusieurs siècles après la mort du principal personnage, dans un de ces intervalles, si rares et si courts, où la tyrannie semblait se reposer un moment, pour recommencer bientôt après à peser sur le peuple et à comprimer toutes les ames.

(2) Octavie fut exilée par Néron, l'an 62 de notre ère, dans l'île Pandataria, près des côtes de la Campanie; ce fut là que, peu de temps après, par ordre de Néron encore, on lui coupa les veines, et qu'on l'étouffa ensuite dans un bain chaud. Sénèque périt du même genre de mort, l'an 65. Il survécut donc trois ans à Octavie.

laisser la liberté d'esprit nécessaire pour composer une tragédie.

« J'avoue que ces raisons seules ne suffiraient point pour me faire adopter l'opinion de ces critiques. Sénèque avait défendu avec chaleur, mais sans succès, la cause d'Octavie, que Néron voulait proscrire, et dont il avait résolu la perte. Il me paraîtrait assez naturel que, persécuté par le même empereur, obligé de fuir de la cour et de se retirer dans une solitude, il eût exhalé son ressentiment dans un drame où sont représentées les principales circonstances du grand événement qui avait occasioné sa disgrace, et qu'il y eût rappelé le rôle très digne et très honorable qu'il y avait joué.

« Mais la vérité est que le style de cette pièce n'a aucune ressemblance avec celui de Sénèque; il contient des tournures, des locutions même qui appartiennent à un siècle postérieur au temps où notre auteur a vécu. Cette tragédie ne peut donc être son ouvrage. Mais je suis loin de la juger aussi sévèrement que Juste-Lipse, qui prétend qu'elle n'a pu être écrite que par un enfant, un écolier. *Puer ego sum*, dit-il, *nisi a puero scripta; certe pueri modo* (1). Ce n'est, il est vrai, qu'une esquisse de pièce, où rien n'est suffisamment développé, bien que plusieurs scènes soient très longues; une esquisse dans laquelle on trouve peu d'art, et presque aucune connaissance des règles les plus ordinaires du drame. Mais il y a aussi des sentiments nobles et élevés, quelques tableaux historiques assez bien tracés, quelques idées philosophiques dans lesquelles on voit l'intention d'imiter Sénèque.

« Dès la première scène, Octavie, dans un monologue

(1) Justi Lipsii Opera omnia, tom. I, p. 358, et Prolegomena nostri Vol. primi, pag. XXI, XXXV, XLIII, LXIII, et CXXXIII. Ed.

assez court, déplore ses malheurs. Elle rappelle, et la mort de sa mère Messaline, qu'elle regarde, avec raison, comme la cause de tous ses maux, *Semper genitrix deflenda mihi, Prima meorum causa malorum* (1), et la mort de son père Claude, empoisonné par Agrippine. Bientôt après survient la nourrice, personnage obligé des anciennes tragédies. Dans son entretien avec cette femme, et au milieu de ses plaintes continuelles, Octavie ne laisse pas d'apprendre aux spectateurs tout ce qui s'était passé avant l'action, et de faire connaître le caractère atroce de son époux. Elle parle du meurtre de son frère Britannicus, des forfaits d'Agrippine, etc.; enfin, elle en vient à cette courtisane Poppée, qui l'a chassée du lit de Néron, et qui demande même sa tête au tyran:

> Inimica, victrix, imminet thalamis meis (2);
> Odioque nostri flagrat, et pretium stupri
> Justæ maritum conjugis captat caput.

Un chœur exprime ensuite toute l'indignation qu'éprouvent les Romains, des traitements que Néron fait endurer à l'aimable fille de Claude, à la douce et vertueuse Octavie; ce qui prépare à la sédition qu'on doit bientôt voir éclater dans Rome.

« Cette exposition n'est pas faite sans doute avec beaucoup d'art; mais enfin elle est complète : et il est peu de premiers actes, dans les autres tragédies latines, qui soient plus remplis, où l'action soit mieux préparée.

« Le chœur, que chantent les Romains à la fin de l'acte, est d'une longueur démesurée; ils y retracent l'assassinat d'Agrippine, presque avec toutes les circonstances que l'on trouve rappelées dans Tacite. Cette longue histoire

(1) Vs. 10, 11. (2) Vs. 131 sqq.

est un hors-d'œuvre, je l'avoue; mais il entrait dans les vues de l'auteur de peindre d'avance des plus noires couleurs le monstre qu'il allait bientôt introduire sur la scène.

« Au second acte paraît un grave personnage, Sénèque, qui a soin de se faire connaître pour philosophe par un monologue, dans lequel il décrit la dépravation des mœurs actuelles, dépravation qui est si grande, qu'il croit que le monde est près de rentrer dans le chaos. La scène qui suit entre Néron et Sénèque est belle, mais aurait pu l'être plus encore, si elle eût été composée avec plus d'art, et, comme on dit, *filée*. Néron entre sur la scène en ordonnant à Tigellin de lui apporter les têtes de Plautus et de Sylla. De ces mots Sénèque prend texte pour réprimander avec dignité l'empereur sur ses continuelles cruautés, et lui donner des leçons suivant son usage; mais son ancien élève ne l'écoute plus, ou du moins combat ses sages maximes par les maximes ordinaires des tyrans : la nécessité de se faire craindre pour régner; l'utilité pour un prince de se défaire de tous ses ennemis, etc., etc. Dans cette espèce de controverse, l'empereur et le philosophe n'emploient l'un et l'autre qu'un vers, et souvent un demi-vers, pour s'attaquer et pour répondre. Ce cliquetis de sentences si courtes fatigue à la fin, parce qu'on y voit de l'affectation. Je citerai un exemple :

NER. Ferrum tuetur principem. — SEN. Melius fides (1).
NER. Decet timeri Cæsarem. — SEN. At plus diligi.
NER. Metuant necesse est. — SEN. Quidquid exprimitur, grave est.
NER. Jussisque nostris pareant. — SEN. Justa impera, etc.

Quand on lit plusieurs pages de suite de ce dialogue si régulièrement coupé, on conçoit comment ce qui est

(1) Vs. 456 sq. Supra, pag. 242.

beauté dans certaines circonstances peut dégénérer en défaut. Enfin, à ce long dialogue coupé, succèdent des plaidoyers en forme. Le philosophe prouve, non seulement que c'est un devoir, mais qu'il fut toujours de l'intérêt des princes de pardonner, de respecter le sang de leurs sujets, etc. L'empereur lui répond, par d'autres exemples tirés aussi de l'histoire de Rome, que la clémence, dans les chefs et les princes, leur a presque toujours été fatale. Après tout ce long préambule, il fallait bien parler d'Octavie; car il paraît, sans que l'auteur le dise très-clairement, que le principal objet de la visite de Sénèque à l'empereur était de le ramener à de meilleurs sentiments envers cette malheureuse princesse. Le philosophe s'acquitte fort bien de sa mission. Il prie, il implore, il menace même; le tout en vain. Il faudrait que Néron renonçât à sa belle Poppée; et, non seulement il n'est pas disposé à ce sacrifice, mais il annonce même que dès le lendemain il va l'épouser, car elle *porte déja un César dans son sein*. Du reste, il congédie assez durement son censeur.

> Desiste tandem, jam gravis nimium mihi (1),
> Instare; liceat facere, quod Seneca improbat.

Cette scène remplit presque entièrement le second acte, dans lequel l'action n'a guère avancé, si même elle a fait un seul pas. Dès le premier acte on savait, moins positivement il est vrai, que Néron devait répudier Octavie, et la remplacer par Poppée.

« Le troisième acte est encore plus vide. Il s'ouvre par l'apparition de l'*ombre* d'Agrippine, qui sort exprès des enfers pour retracer de nouveau le tableau de sa mort

(1) Vs. 588, pag. 251.

funeste; tableau qui avait déja été offert, dès le premier acte, par le chœur des Romains. Mais, ce qui est plus important, elle prédit la mort violente du fils, son ingrat assassin, qu'elle avait elle-même placé sur le trône par des crimes inouis.

> ..... tempus haud longum peto (1).
> Ultrix Erinnys impio dignum parat
> Letum tyranno.....
> ....
> Veniet dies tempusque, quo reddat suis
> Animum nocentem sceleribus, jugulum hostibus,
> Desertus, et destructus, et cunctis egens.

Ces vers suffiraient seuls pour prouver que Sénèque n'est pas auteur de l'Octavie. La mort du tyran y est décrite avec les circonstances qui l'accompagnèrent. Or, Sénèque, qui périt avant Néron, ne pouvait prévoir que cet empereur, à son dernier moment, tendrait la gorge aux hommes qui le poursuivraient, *jugulum hostibus* (2), et qu'auparavant il aurait été dans sa fuite exposé aux horreurs de la faim, *destructus..... cunctis egens* (3).

« Je multiplie à dessein les citations du texte de cette tragédie, mon intention étant de prouver, par des exemples, combien ce style est différent de celui des beaux siècles de la littérature latine.

« Après que l'ombre d'Agrippine a disparu, Octavie vient apprendre, en quelques mots, à un chœur de Romains, qu'elle va quitter le palais de ses ancêtres. Les Romains indignés se dispersent en tumulte, et se proposent de renverser les statues de Poppée, et de porter le fer et la flamme dans le palais de l'injuste Néron. Mais ce pro-

(1) Vs. 618 sq. pag. 253.
(2) Vs. 630.
(3) Vs. 631.

jet, qui est vraiment le ressort, le nœud de la pièce, est annoncé si vaguement, en si peu de mots, que l'esprit n'en peut être frappé.

Miser dolor; H. oe. 308. — orbis; *ib.* 1533. — pater; Ph. 532. — interit; Tro. 689. — ille nunquam, cui facile est mori; H. oe. 111. — nemo est, nisi comparatus; Tro. 1023. — *Miserum* vota perire; H. f. 513. — *Misera* mors; Ag. 282. — pietas; H. oe. 1027 : OEd. 19. — parens; H. oe. 1840. — manus; Tro. 80. — virtus; H. oe. 1172. — *Miserum* tempus; Th. 934. — viri funus; Tro. 807. — cor; H. f. 1298. — *Misero* datur, quodcumque fortunæ datur; Tro. 697. — dissuadere mori; H. oe. 929. — *Miserum* esse cum venia; Hip. 440. — videre nolle; Th. 907. — *Miserum* est nescire mori; Ag. 610. — se credere; Tro. 1018. — *Misera* quid feci? Med. 990. — quo pergis; H. oe. 909. — tibi gratulandum; Tro. 620. — *Miseri* lares; H. oe. 756. — non credunt rebus lætis; Th. 938. — facile credunt, quod volunt; H. f. 313. — quicumque sunt homines; *ib.* 463. — *Miseræ* manus; H. oe. 1857. — gentes; *ib.* 1900. — *Miseris* prodesse; Med. 224. — regna donare; H. oe. 412. — flendi cupido est; Th. 953. — Superi maxime colendi; Ag. 694. — restat longius vivere; Tro. 377. — gravis arbiter; *ib.* 984. — est dulcedo lucis malæ; Ag. 496. — pudor nullus; OEd. 65. — *Miseros* facere; H. oe. 441. — mors fugit; *ib.* 122.

— non levat dolor; Hip. 404. — in vota cogere; Ag. 510. — juvant fata; Tro. 510. — mors libera vocat; Ag. 592. — in luce tenere; H. oe. 968. — vitium sequitur; Th. 938. — *Miserrimum* est timere, quum speres nihil; Tro. 425.

Miserandus vadis ad Manes; H. oe. 1552. — *Miseranda* vox; H. f. 1003. — conjux; *ib.* 439. — Thebæ; OEd. 112. — parens; Oct. 882. — tellus; H. oe. 1589. — Priami mors; Tro. 143. — clades; Med. 207. — *Miseranda* parentis fata; H. oe. 207.

Miserere viduæ; Hip. 623. — *Miseret* me tui; *ib.* 115. — *Misereri* amantis; *ib.* 671. — matris; Tro. 694: *ib.* 703. — jubes; Med. 1018.

Misericors pater; H. oe. 1305. — ærumnas amat; *ib.* 361. — virginea busto petis; Tro. 330.

Miseriæ sub tenebris latitant; Th. 887. — *Miseriis* angulum rogare; Med. 249. — *Miserias* mutare regno; Th. 298. — pede calcare; Med. 253. — lenit quies; *ib.* 559. — ferre leve, perferre grave; Th. 307. — suas audire properare; H. oe. 754.

Missile telum; Hip. 48.

Mitigare animum; Med. 426. — pectus ferum; Hip. 415.

Mitis pater; Hip. 245. — Deus; Oct. 83. — animus; Hip. 573. — pontus; *ib.* 274. — imperium cruentum regit; H. f. 741. — et fortis manus; Tro. 218. — *Mites* iræ; *ib.* 730. — *Mitia* sidera; OEd. 233. — poma; Th. 164. — *Mitior* rebus beatis; Hip. 437. — *Mitius* nil est feris; *ib.* 558. — stagno pelagus; Th. 589.

Mitra barbara; H. f. 471. — *Mitra* cohibens caput; Hip. 756. — *crinem* premere; H. oe. 375. — Tyria cohibere caput; OEd. 413.

Mittere fulmina; H. oe. 1996. — tela; Hip. 941: H. oe. 1937. — carmina; Med. 108. — signum; Th. 799: Hip. 82. — questus; Th. 954. — habenas; Med. 347. — vota; Hip. 942. — manum; Ph. 93. — canes rabidos; OEd. 932. — Gradivum trucem; H. oe. 1312. — habenas canibus; Hip. 31. — facem ereptam Jovi; H. oe. 881. — tela dextera inerti; Ag. 551. — gemitum timidum; Tro. 1161. — bis ter rotatum circa; H. f. 1006. — impetum doloris; Ph. 347. — caput ad umbras æternas; *ib.* 234. — (aliquem) ad mortem; H. f. 1049. — (quem) ad umbras; Oct. 74: *ib.* 958. — longe arundinem; Hip. 815. — currus nullo morante loro; Med. 875. — signa luctus; Th. 957. — arcus infestos ruinis Trojæ; Tro. 824. — natum per terras; Hip. 199. — onus in Superos; H. oe. 1146. — (aliquem) pabulum feris; Ph. 255. — (quem) in æquor; Oct. 312. — in aliquem) sagittas; H. oe. 547. — in hostem sagittas; *ib.* 1653. — in astra ad Superos preces; *ib.* 1691. — in Alcidem feram; *ib.* 257. — sub jugum gentes; Tro. 773. — *Mittit* procella miseras quo libet; *ib.* 852. — *Mittunt* (venti) tela; Ag. 477. — *Mitte* ex animo Thyesten; Th. 937. — *Mitti* Erebo; OEd. 520. — fata sua in multos gaudere; Tro. 1014. — per saxa Scironia; Hip. 1225. — corpus hinc placet; H. oe. 862. — Doricum genus exitio placet; Ag. 523. — tela sic decet; H. f. 990. — *Missus* sonus; *ib.* 790. — satelles; Oct. 366. — per ora fragor; H. f. 795. — per fastigia celsa; Tro. 652. — in astra fertur; H. oe. 817. — e muris puer; Tro. 1063. — *Missa* palla; H. oe. 716. — cælo justitia; Oct. 398. — præceps arce; Hip. 260. — *Missum* fulmen; H. oe. 455. — in Phaethonta telum; *ib.* 853. — telum librare; H. f. 1028. — *Missæ* voces; Tro. 617. — *Mittenda* virgo saxo arcis; Tro. 930.

Mobilis cursus; Hip. 446. — pontus; H. f. 1056. — pes; Tro. 780. — gradus; OEd. 378. — nulla prece ordo; *ib.* 992. — *Mobilis* hora; Hip. 1141. — silva; Th. 168. — facies

flammæ; Œd. 314. — *Mobile* magis fluctu; H. f. 170. — *Mobiles* rerum casus; Th. 606. — *Mobilior* manus; Hip. 810.

Moderari regna; H. f. 304. — tela arcu; Hip. 278. — juga loris; Med. 34. — mentis impetus; Hip. 255. — *Moderata* imperia durant; Tro. 259.

Modesta mens; Ph. 350. — *Modestius* cum matre; Ag. 957.

Modicus fragor; H. œ. 1128. — maritus; *ib.* 658. — *Modicæ* res; Ag. 102. — *Modicis* statuere sæva; H. œ. 446. — *Modicis* rebus longius ævum est; Ag. 102.

Modus Parthicus; Hip. 816. — cladis; Med. 884. — nequitiæ; Ag. 151. — est aliquis sceleris; Th. 1051. — flendi nullus est; Tro. 812. — lacrimis non est; Ag. 691. — est flammis; Hip. 359. — pudorve irarum; Th. 26. — *Modum* excedere; OEd. 909. — statuere timori; Th. 483. — statuere ærumnis; H. f. 206. — odio statuere; Med. 397. — res secundæ non patiuntur; Th. 199. — vicere, quæ patimur; Ag. 692. — non habent secunda; OEd. 694. — non servant arma; H. f. 403. — (pro: finem) dat tellus Oceano; *ib.* 1141. — *Modi* conciti; Tro. 781. — dulces; Ag. 584. — cæci; Ph. 132. — flebiles; H. œ. 1091. — pœnarum; Ag. 989.

Modulans plectrum; Med. 626. — *Modulata* Ityn in varios sonos aedon; Ag. 672.

Modulatu canoro trahere saxa; H. f. 263.

Mœnas dei impatiens; Ag. 719. Vid. *Mænas* et *Menades*.

Mœnia Dardana; Tro. 136. — Dircæa; H. œ. 140. — cara; Ph. 580. — patria; *ib.* 540. — relicta; Hip. 485. — alta; Tro. 1091. — immissa; H. f. 1291. — Divum fabricata manu; Ag. 651. — *Mœnibus* patriæ locum dare; H. œ. 123. — *Mœnia* dejicere; Ph. 343. — colere; H. œ. 140. — terrens leo; *ib.* 1892.

Mœrere Herculem; H. œ. 764. — Alcidæ patrem; *ib.* 1596. — fortes virtus vetat; *ib.* 1836. — quam sexus jubet; *ib.* 1688. — magis timet, quam mœret; Tro. 618. — *Mœret*, illacrimat; *ib.* 615. — infelix soror; Oct. 47. — *Mœrens* Chelys; H. œ. 1063. — *Mœstus* bubo; Med. 733. — senex; OEd. 554. — famulus; *ib.* 912. — dies; Tro. 240. — clamor; H. f. 1108. — Acheron; Th. 17. — finis rerum; H. f. 703. — funere futuro; Ag. 772. — *Mœsta* turba; Tro. 409 : Oct. 719. — lamentatio; Hip. 852. — fames; H. f. 691. — manus; H. œ. 1618. — *Mœsta* vultus; Hip. 433. — Phaethontiadum sororum silva; H. œ. 187. — facie lurida; Med. 790. — pavet; Ag. 923. — *Mœstam* recreare; Hip. 730. — intueri; H. œ. 1755. — *Mæstum* caput; Tro. 1133. — agmen; OEd. 128. — pectus; Hip. 1255. jubar exoritur; OEd. 2. — murmur; Oct. 923. — *Mœsti* Manes; H. f. 648. — patres; Oct. 511. — vultus; Th. 506. — reditus; Hip. 1146. — *Mœstæ* terræ; H. œ. 1529. — canes; Hip. 1108. — genæ; *ib.* 990. — *Mœsta* regna; H. œ. 1705. — colla; Tro. 85. — capita; Th. 686.

Mœror visus hebetat; H. f. 1043. — amat lacrimas; Th. 952. — fugiat; *ib.* 922. — *Mœroris* socia; Med. 568. — socii; Tro. 905. — *Mœrore* pressa; Oct. 104. — horrida; H. f. 705. — nulla dies caret; Tro. 77.

Mola salsa; Th. 688 : OEd. 335.

Moles vasta; H. œ. 1211. — jacta; Th. 460. — collapsa; H. œ. 1229. — immensa; H. f. 71 : Tro. 484 : Ag. 626. — magna; OEd. 829. — tergemina; Th. 1083. — cadentis imperii; OEd. 84. — se acuit; Hip. 1059. — abit in nihil; H. œ. 1760. — mali; H. f. 1239. — Amphionis (i. e. arx Thebana); Ph. 567. — *Mole* gigantum pressus; H. œ. 1211. — *Moles*, quas nulla struxit manus; Ph. 567. — *Moles* dare mari; H. f. 1048.

Molliri (aliquid); Med. 181. — gradus; Hip. 431. — scelera; H. f. 1162. — magna; Ph. 303. — terras; Tro. 682. — iter; OEd. 996. — tela manu proterva; Hip. 200. — in (aliquem aliquid); OEd. 28. — perniciem et dira fata; Ag. 230.

Mollire affectus; Ph. 310. — pectus verbis; *ib.* 142. — frigora; Hip. 21.

Mollis ambitus; OEd. 369. — torus; H. f. 1152. — sopor; OEd. 788. — *Mollis* coma; Ag. 712. — ætas; Tro. 1145. — manus; Hip. 111 : H. f. 473. — frons; OEd. 414. — ad astra e terris via; H. f. 437. — *Molle* carmen; Ag. 550. — senium; OEd. 270. — *Molles* cultus; *ib.* 422. — viri; Ag. 686. — simulant dura; Hip. 922. — *Molles* lacertæ; *ib.* 653. — *Mollia* brachia; OEd. 405.

Molossi (canes) acres; Hip. 32.

Momento rapi; Hip. 771.

Monere : *monent* hoc Delphicæ laurus; OEd. 16. — *Monuit* tuba remigem; Ag. 428. — *Monebit* artifex sceleris; Ag. 983.

Monile dispositum; H. œ. 659. — auro fulgens; Med. 573. — *Monili* vacua cervix; Hip. 391.

Monitu cælitum (aliquid) facere; OEd. 239.

Mons exesus; Tro. 851. — Cecropius; Hip. 2. — Idæus; Ag. 457. — Siculus (i. e. Ætna); Ph. 315. — rejectus; Th. 809. — geminus; H. f. 970. — apertus; H. œ. 1158. — arduus; Tro. 1149. — projectus; H. œ. 1310. — asper; *ib.* 865. — abruptus; *ib.* 1167. — præruptus; Tro. 1084. — huc et illuc impulsus; H. f. 286. — peragratus; Ph. 14. — *Montis* specus ingens; H. f. 94. — *Montes* opaci; OEd. 155. — cavi; Tro. 109. — Thessali; *ib.* 815. — *Montibus* superimpositi; Ag. 335. — profundi claustra; Med. 341. — *Montium* jugis se dicare; Hip. 487. — *Montes* colere; *ib.* 406.

Monstrare iter; H. œ. 32. — maria; Med. 453. — hostem; H. f. 1168. imaginem senii; Hip. 823. — rebus afflictis viam; Med. 162. — bella paterna puero; Tro. 1074.

Monstrifera mater; Hip. 688.

Monstrum impium, sævum, immite ac ferum; H. f. 1280. — parvulum; *ib.* 1020. — novum; Tro. 1154. — insomne; Med. 473. — callidum; OEd. 106. — nefandum; Th. 632. — cæcum; Hip. 122. — terrificum; H. f. 82. — devictum; *ib.* 62. — Gnossium; Hip. 649. — Sphinge magis perplexum; OEd. 641. — *Monstri* lóco cœpisse esse; H. œ. 56. — *Monstrum* parare; H. f. 939 : Med. 675. — abripere; Ag. 997. — ferre; Oct. 372. — *Monstro* majus nefas; Hip. 143. — *Monstrum* sequi; *ib.* 1034. — intueri; *ib.* 898. — *Monstra* maris; *ib.* 1160. — victa; H. f. 778 : Med. 479. — perdomita; H. f. 444. — nova; Oct. 231. — trucia; Ag. 337. — notis majora; Th. 673. — sæva Lernæ; H. f. 241. — mari perfusa; Th. 867. — Ponti sæva; Hip. 1204. — veris majora; Tro. 168. — mihi desunt; H. f. 40. — movent cunctos; Th. 703. — cessant; Hip. 174. — *Monstra* invenire; H. œ. 54. — fundere; *ib.* 61. — timere; H. f. 1254 : H. œ. 288. — et feras timere; H. f. 454. — superare; *ib.* 215. — fato imputare; Hip. 144. — nova protulit tellus; OEd. 724. — *Monstris* horret advena; *ib.* 743.

Montiferum Titana pati; H. œ. 1212.

Montivagum pecus; H. œ. 137. — *Montivagi* panes; Hip. 784.

Monumenta exstruere; Oct. 196.

Mopsopia claris lamentis sonet; Hip. 1276.

Mopsopius (Atticus) : *Mopsopia* ars; Hip. 121.

Mopsus omnibus verax, sibi falsus; Med. 654.

Mora longa; Ph. 46 : Ag. 54. — dimissa; Th. 705. — inquieta; H. f.

1215. — brevis; Med. 288. — pugnandi nulla; H. f. 1171. — fatorum; Tro. 124. — nulla est per fratrem; Th. 1022. — Danais Hector; Ag. 211. — Danais in portu longa; Tro. 164. — est fluminibus; H. oe. 1040. — parva est lacrimis; Tro. 787. — omnis properanti nimium longa; Ag. 426. — sæpe sanat, quod ratio nequit; *ib.* 130. — montium jaceam; H. f. 1215. — *Moræ* causa; Hip. 793. — patiens; Th. 158. — impatiens; OEd. 99: Hip. 583. — *Moram* abripere; Tro. 813. — rumpere; Hip. 1101. — pati; Th. 769. — ferre; H. f. 1311. — largiri; Tro. 760. — adicere; *ib.* 206. — ratibus facere; *ib.* 166. — leti anilis exspuere; *ib.* 1169. — belli tollere; Ph. 458. — sceleris pati; Oct. 365. — suppliciis donare; Med. 1015. — *Moræ* segnes; *ib.* 54. — lacertorum; Th. 762. — *Moras* præbere; H. f. 573. — pati; *ib.* 573: Ag. 131. — invenire; Med. 173. — quærere; OEd. 293. — evincere Ditis; H. oe. 1199. — nectere; *ib.* 10. — bellis solvere; Tro. 354. — pedibus addere; OEd. 655. — odit veritas; *ib.* 850. — fando serere; Med. 281. — classis redimere; Ag. 160. — vocis dimovere; Hip. 587. — fatorum rumpere; Tro. 681. — classis solvere; *ib.* 1126. — flectere navibus; Med. 149. — uteri clusi solvere; Ph. 246. — lucis esse abrumpere; Tro. 939. — odit nec patitur amor; H. f. 588.

Morari; OEd. 549; Ag. 304. — sedes; Ph. 30. — nihil; Ag. 1010. — frustra; Oct. 960. — Phœbum; Ag. 56. — pœnas; OEd. 926. — jussa; Oct. 439. — exsequi; *ib.* 805. — (aliquem) domi; Ag. 145. — (alicubi) per decem annos; *ib.* 399. — *Morantur* te fata in limine Ditis; H. oe. 1922. — *Morans* dominus; Th. 503. — lorum; Med. 875.

Morbus tremens; H. f. 694. — ægre sustinens caput; OEd. 593. — *Morbi* vis victa; H. f. 1052. — *Morbo* reddere corpus; H. oe. 1431. — *Morbo* graves; OEd. 1052. — *Morbos* cruentos pavit labor; H. oe. 1398.

Mordere : mordent lentius luctus; Tro. 1011.

Mori viro; Hip. 1184. — prohibere; Tro. 420. — merere; Hip. 683. — pati; H. oe. 1028. — quærere; *ib.* 889. — cupere; H. f. 116: Ag. 996. — statuere; H. oe. 922: *ib.* 1025. — constituere; Hip. 266. — cœpisse; Ph. 181: H. oe. 894. — orare; OEd. 198. — pertimescere; H. f. 565. — properare; Ph. 305. — antecedere; *ib.* 76. — posse; H. oe. 1373. — nescire; H. f. 426. — per vulnus; Th. 743. — viro reduce; Hip. 856. — fulmine et Ponto; Med. 661. — dextra matris; *ib.* 645. — ferro gnati; Oct. 358. — pœna est; H. oe. 930. — juvabit; Oct. 108. — nescire miserum est; Ag. 610. — mihi votum est; Tro. 577. — votum est; H. oe. 1324. — nolentem cogere; Ph. 98. — tempore fati; H. oe. 640. — matrem vetare; *ib.* 1027. — est vinci in malis; Ph. 79. — quæ causa cogit; Hip. 871. — volenti mors nunquam deerit; *ib.* 878. — sine metu mortis; Tro. 869. — cupientem vetare; Ph. 100. — in patria invidere; Oct. 905. — potest, quod natum est; H. oe. 1099. — nato sic non est pœna; Ag. 233. — cui facile est, nunquam miser est; H. oe. 111. — dissuadere misero; *ib.* 929. — quum possim? Th. 442. — nemo contempsit, qui concupivit; Ph. 197. — non queritur; Th. 368. — *Moritur* sicco veneno serpens; OEd. 153. — *Morimur* toti; *ib.* 378. — *Morieris* hodie; Ag. 971. — *Moriere*; H. oe. 332. — in cujus regno? Tro. 860. — *Moriar* hac manu; Ag. 971. — Herculis conjux; H. oe. 332. — *Moriens* inter juvencos pastor; OEd. 148. — bello felix; Tro. 163. — verba addit; H. oe. 523. — *Morituro* ingemere; *ib.* 1687. — *Moritura* amplectar; H. oe. 343.

Mortalis pater; H. OE. 1501. — *Mortali* cælum tenens invidit; *ib.* 1511. — *Mortalis* turba; HIP. 475. — femina; H. OE. 1189. — genitrix; *ib.* 1848. — *Mortale* genus; H. F. 448 : OED. 984. — genus evadere; H. OE. 1434. — ævum; TRO. 52. — *Mortalibus* malum additum; AG. 589. — forma anceps bonum; HIP. 761.

Mortifer flos; MED. 717. — *Mortifera* taxus; OED. 555. — serpens; MED. 688. — vestis; AG. 887. — *Mortifera* gramina; MED. 731. — vitia; OED. 1058.

Mos funereus; MED. 802. — subitus; TRO. 1132. — solitus flendi; *ib.* 96. — est vix feris; OED. 639. — *Moris* sani tecta; HIP. 208. — *More* pecudum; AG. 974. — solito positus; OED. 374. — *Mores* feri; OCT. 422. — *Mores* periere; AG. 112. — *Morum* vitia; OCT. 251. — *Moribus* scelera imputare; HIP. 144. — *Mores* recipere; *ib.* 1196. — ad *mores* bonos via nunquam sera; AG. 24.

Mothone (Messeniorum civitas); TRO. 822.

Motus ferox; MED. 855. — levis; OED. 353. — vesanus; H. F. 1095. — efferus; MED. 385. — vanus; H. F. 1087. — impius; OCT. 850. — mundi; *ib.* 388. — pedum; H. F. 788. — *Motum* habuere saxa; H. OE. 458. — *Motu* agitata templa; H. F. 521. — *Motus* magni; HIP. 1138. — *Motus* spumeos agere; H. OE. 737. — civium noscere; OCT. 804.

Movere pectora; OCT. 744. — iram; *ib.* 254. — domum; OED. 228. — remos; *ib.* 540. — manus; H. F. 470. — ensem; TH. 556. — cuncta; *ib.* 604. — alas; HIP. 301. — cautes; H. OE. 1622. — gradum; TH. 420. — gradu; H. F. 817. — catenas; OED. 581. — caudam; *ib.* 96. — sceptra; *ib.* 513. — caput; H. OE. 259. — bella; H. F. 123 : OCT. 753. — bella fera; *ib.* 806. — arma (pro : inferre bellum); H. F. 976. — Tartara cantu flebili; H. OE. 1066. — manus implicitas; OED. 907. — longo temporum tractu obducta; *ib.* 851. — aures attonitas; H. OE. 1129. — vulgum ac duces; TRO. 1098. — brachia nisu alterno; AG. 439. — terrorem omni parte; HIP. 1079. — silvæ capita; TRO. 173. — bella horrida; OCT. 776. — fraude vulgari altius; MED. 693. — membra cum gemitu; OED. 375. — fila docta carmine; AG. 349. — regnum fluctibus; HIP. 903. — urbes in arma; PH. 283. — *Movet* Eurus Orientem; AG. 482. — Danaos magna res; TRO. 550. — formæ decus; *ib.* 1144. — me nulla pietas; TH. 248. — me pietas; H. F. 1269. — portum quiete placidum terror nullus; AG. 594. — tripodas (Phœbus); MED. 86. — si nihil Superos; TH. 1092. — *Movent* lacrimæ; HIP. 880. — cunctos monstra; TH. 703. — Divos preces; HIP. 1242. — mala ventura; AG. 197. — *Movit* leones amor; HIP. 349. — Aurora caput ad solitas vices; AG. 822. — *Moveri* nihil; *ib.* 539. — mœrore matris; TRO. 736. — fletu; H. F. 1274. — flebili clamore; TRO. 678. — metu; TH. 352. — *Movetur* tuto, quidquid est in extremo loco; OED. 834. — *Movens* ora vatis Apollo; *ib.* 269. — caput fessum per colla; H. OE. 1283. — *Mota* classis; TRO. 970. — caput dedi tibi voces; MED. 800. — *Mota* sua ripa Styx; OED. 162. — *Moti* Centauri; H. OE. 1925. — *Motæ* Cyclades; TH. 595. — cantibus Hyades; MED. 769. — zephyris plumæ; OED. 758. — nubes pulvereæ equitum catervis; AG. 601.

Mucro justus; HIP. 1197. — longus; *ib.* 548. — *Mucrone* cingens latus; *ib.*

Mugire; H. F. 521. — solum e fundo; TH. 262. — *Mugisse* solum; OED. 173. — *Mugiunt* fibræ veru trajectæ; TH. 1064.

Mugitus vastus; HIP. 1171 : H. OE. 800. — Parnassius; *ib.* 1475. — cæ-

cus; Tro. 171. — *Mugitu* digna dare furoris; Hip. 543.

Mulcere inferos vocibus; H. f. 575. — saxa cantu; Med. 229. — mare voce canora; *ib.* 356. — *Mulcendum* se dare; Hip. 236. — *Mulcens* prata aura; *ib.* 11.

Mulciber dedit ignes tectos; Med. 825.

Muliebre non est tutari regna urbium; Hip. 619.

Mulier innocens; Med. 193.

Multare fuga crimen; Med. 192.

Multifida pinus; Med. 111.

Multifora buxus; Ag. 348.

Multiplex domus; Hip. 524. — *Multivagæ* domus; H. f. 533.

Multus sanguis; Tro. 121. — *Multæ* preces; Med. 846. — *Multum* sanguinis; Th. 1043. — funus; Tro. 99. — vulnus; Hip. 1096. — vulnus impressum; H. oe. 1626. — ab (aliquo) trahere; *ib.* 356. — rapere; *ib.* 389. — *Multa* spatia; Th. 649. — *Multa* sunt timenda; Med. 429.

Mundus ætherius; Hip. 333. — (i. e. cælum) tristis; OEd. 45. — silens; H. f. 863. — obscurus; Hip. 309. — citatus; H. oe. 1903. — concitatus; Ag. 827. — ultimus; Hip. 931. — æternus; H. oe. 1980. — serenus; OEd. 250. — contumax; H. f. 964. — revulsus; Ph. 59. — sublimis; H. f. 958. — piger; *ib.* 705. — stelliger; *ib.* 1204. — vacuus; *ib.* 68. — pictus; Th. 834. — vastus; Hip. 973. — annosus; OEd. 503. — primus (i. e. Oriens); *ib.* 116. — periens; Th. 883. — disseptus; Med. 335. — tonat; H. oe. 1595. — pacem tibi debet; *ib.* 283. — relucet (Dianæ) face; Hip. 411. — humeris sedet; H. oe. 1242. — negat feras; *ib.* 30. — evolvit vices certas; Med. 402. — vocibus primis tremit; *ib.* 739. — compescit umbras; H. oe. 1770. — poscit suum vindicem; *ib.* 1019. — in me si ruat; *ib.* 1385. — gerit serta (Europæ); H. f. 18. — *Mundi* motus; Oct. 388. — arbiter; H. oe. 1173. — plaga; H. f. 1138. — decus; H. oe. 1518. — ultima; H. f. 703. — fragor; Tro. 355. — ruina me conde; H. oe. 1150. — promissi regia; *ib.* 1910. — fundus (pro: medium terræ centrum); H. f. 831. — vasti pondera; Hip. 973. — *Mundo* adest dies; Oct. 392. — *Mundum* ferre; H. oe. 98. — capere; *ib.* 1118. — quatere; Hip. 155. — petere; H. oe. 98. — quatere nubibus; Med. 533. — revellare sedibus; Ag. 485. — tulit cervix; H. oe. 1343. — cervice ferre; *ib.* 1906.

Munus supremum; Hip. 949. — dulce; *ib.* 591. — patrium; *ib.* 1252. — regale; H. f. 428. — geminum Castor et Pollux; Med. 230. — viris indictum; Hip. 463. — fatale Danaum; Ag. 627. — conjugis novæ; *ib.* 749. — est fuga; Med. 492. — nuptæ; *ib.* 642. — Deorum; Oct. 492. — patrui volentis; H. f. 761. — datus feminæ Silanus; Oct. 147. — *Muneri* parcere; Med. 142. — *Munus* parare; H. oe. 1448. — sancire; Hip. 944. — perdere; H. f. 589. — Diti remittere; Hip. 1218. — hoc a te peto; H. f. 509. — genitoris tueri Tro. 667. — Alcidæ capere; H. oe. 1649. — morte rependere; Oct. 95. — *Munere* placare dominam; Med. 846. — *Munera* votiva; Ag. 644. — cæca; Hip. 979. — propinqui sceptri; OEd. 690.

Murex Tyrius; Hip. 388.

Murmur grave; Med. 466. — mœstum; Oct. 923. — inclusum; Ag. 713. — tacitum; *ib.* 633. — incertum; Th. 729. — sævum; Hip. 350. — mixtum; H. f. 150. — querulum; H. oe. 205. — classicorum; Th. 574. — altum; OEd. 922.

Murmurare (de rivo); Hip. 514. — *Murmurat* mare fluctu leni; Tro. 201.

Murus Inachius; Ph. 445. — saxeus; Th. 233. — cadens; Tro. 1086. — *Muri* alta decora; *ib.* 15. — *Muri*

summi; Ag. 621. — alti; Ph. 209: Tro. 1118. — labentes; Th. 567. — lapsi; Tro. 622. — videbunt aliquid flebilius; *ib.* 785. — *Muros* corpore propellere; H. oe. 162. — urbes terra nova posuere; Med. 370. — *Muris* caret oppidum; *ib.* 79.

Musa docta; Ag. 331.

Muscus tenax; Hip. 1044.

Mutare vultus; Oct. 710. — consilia; *ib.* 53. — iras; H. f. 1220. — sedem; Hip. 508. — odia; H. f. 112: Hip. 575. — ora; *ib.* 1065. — ripas; Th. 72. — freta cum pratis; OEd. 451. — stamina fusi rati; *ib.* 982. — miserias regno; Th. 298. — lumina incerta; Ag. 714. — sedes non est novum; Med. 448. — *Mutat* genas color; OEd. 849. — stella nomen; Ag. 820. — habitus sui impatiens; Hip. 373. — *Mutatur* orbis; H. oe. 85. — *Mutor* tibi uni; Hip. 669. — *Mutantes* arva; OEd. 474. — *Mutatus* ordo; *ib.* 366.

Muta libertas; OEd. 525. — fides; H. f. 301. — *Muta* litora; *ib.* 536. — loca; *ib.* 794.

Mutua clades; Th. 237. — venia; Ag. 268. — cædes; Med. 470. — *Mutui* ignes; Hip. 414.

Mycale docta; H. oe. 525.

Mycenæ lætæ; Tro. 156. — captæ; Ag. 1007. — *Mycenarum* turba; *ib.* 342. — rex; *ib.* 251. — *Mycenas* exiit; Ag. 967. — *Mycenis* virginem petere; Tro. 245. — mihi bellum restat; H. f. 997.

Mycenææ nurus; Tro. 363. — *Mycenææ* domus; Ag. 121.

Myrrha Cypria; H. oe. 196. — *Myrrha* (gummi genus) Sabæa; H. oe. 376.

Myrtilus deceptor domini; Th. 140.

Myrtoum: *Myrtoi* maris spolia; Th. 660.

Myrtus Paphia; OEd. 539.

Mysia (a Myso fluvio): *Mysiæ* ferocis introitus; Tro. 216.

Mystæ lascivi; OEd. 430. — *Mystas* claudere; H. oe. 599.

N.

Nabathæa regna (pro: Arabia Petræa); Ag. 483.

Nabathes (pro: Nabathæus) vicinus; H. oe. 160.

Naides improbæ; Hip. 778.

Nancisci nomen tumore pedum; OEd. 813.

Nardo madere; H. f. 469.

Naris sagax; Hip. 39. — adunca; OEd. 189. — *Nares* patulæ; Hip. 1043.

Narrare bella; Ag. 446. — Tonantis furta; Oct. 763. — toros falsos Pyrrhi; Tro. 865. — thalamis paria repudia; Med. 52. — *Narrari* toto orbe; H. f. 39.

Nasamonium nemus; H. oe. 1642.

Nasci Deum magno constitit; H. f. 462. — vetare; Ag. 836. — diem ab occasu; H. oe. 336. — regem credere; *ib.* 615. — quid per urbes jubere; *ib.* 1543. — Herculem sensit occasus; Ag. 825. — stabulis infantem; H. oe. 1897. — segetem in profundo; *ib.* 1582. — *Nascitur* fera; *ib.* 998. — *Nascetur* si qua fera; *ib.* 1329. — indomitum malum; *ib.* 875. — *Nascetur* nulla fera; *ib.* 1588. — *Natum* quod est, mori potest; *ib.* 1099. — *Natum* esse in terris; *ib.* 1144. — per nefas; Ph. 300. — *Nascens* sol; Hip. 285. — Phœbus; H. oe. 1884. — *Nascente* Hercule; *ib.* 1500. — *Natus* Jove; H. f. 792. — Thyeste; Ag. 907. — ex Achille; Tro. 343. — sub undis; Hip. 1040. — per scelera; Ag. 984. — properante partu; H. f. 830. — *Nati* fratres gemini ab uno pectore; Ag. 838. — *Natos* Dea mori discere; Tro. 242.

Nata violenta; Oct. 308. — Priami; Tro. 247. — Lucretii; Oct. 302. — Tonantis magni, Pallas; Ag 356. —

fatis coacta fert uterum gravem; Ag. 33. — *Natam* regis petere; H. oe. 354. — *Natæ* fraude deceptæ; Med. 475. — *Natas* armare in exitium senis; *ib.* 914. — Vide *Gnata.*

Natale solum; Th. 406 : Ph. 341 . Med. 334.

Natare freto; OEd. 459. — Ionio; Ag. 506. — *Natabit* domus alterno sanguine; *ib.* 44.

Nativæ domus; Hip. 539. — opes; *ib.* 538.

Natura vitæ dux; Hip. 481. — parens deûm (i. e. siderum); *ib.* 959. — nimium potens; *ib.* 1116. — versa est; OEd. 370. — cessit; H. oe. 46. — me concepit; *ib.* 1505. — dedit vires tibi; Oct. 175. — retro versa est; Ag. 84. — vocat populos; H. oe. 1918. — se vertit in novas leges; Ph. 85. — vertit leges in OEdipoda; OEd. 943. — parum est avidis; H. oe. 631. — sibi vindicat omnes; Hip. 352. — cedit legibus suis; *ib.* 176. — recepit an ultra majus aut atrocius? Th. 746. — ei dedit animum malo pronum; Oct. 868. — nullum crimen hoc majus potest ferre; Ph. 272. — *Naturæ* jura nihil valent; *ib.* 478. — jura fasque rupit; Oct. 163. — *Naturam* vertere ignibus; Hip. 173.

Natus Alcidæ; H. oe. 996. — Tonantis; *ib.* 1151. — Agenoris magni; OEd. 715. — Pelei; Tro. 247. — Thetidisque; Ag. 615. — in partes datus; Ph. 365. — ubinam est; H. oe. 1338. — paternæ neci comes; Ag. 926. — per terras vagus; Hip. 198. — vultus (patris) reddit; H. f. 1016. — *Nati* oblita; Tro. 459. — sic mori non est pœna; Ag. 233. — *Natum* eripere; Tro. 452. — opprimere; H. oe. 430. — relinquere; *ib.* 895. — servare; H. f. 1303. — paventem cernere; H. oe. 739. — Herculis fovere; *ib.* 1495. — ad umbras trahere; Oct. 269. — peto sorte jussus; Tro. 554. — quacumque parte prospicere; H. oe. 1696. — *Nato* carere; Tro. 620. — *Nati* insontes; Med. 283. — obsiti pædore; H. f. 628. — cæde confecti; *ib.* 1160. — bis septeni; Med. 956. — patrem vincunt; *ib.* 441. — *Natorum* indoles; Hip. 869 : H. oe. 904. — *Natis* consulere; Med. 443. — genitricem abstrahere; *ib.* 145. — nepotes miscere; Ag. 36. — adest noverca; *ib.* 198. — placari; Med. 507. — *Natos* recipere; *ib.* 1024. — *Natos* Aquilone sternere; *ib.* 634. — Vide *Gnatus.*

Navalia Thessalica; Tro. 324.

Navis timet secare alta; Th 590. — *Navem* manu complecti; Ag. 542. — *Naves* Ioniæ; Th. 143. — deductæ; Tro. 552. — timidæ; H. f. 553. — *Naves* anteire; Ag. 453.

Naufragium pati; H. oe. 118. — *Naufragia* dira; Oct. 128.

Naufraga tabula; Tro. 1032. — *Naufragos* major pestis vocat; Ag. 557.

Navita avidus; Med. 326. — coactus; H. f. 774. — durus; OEd. 168. — dubius vitæ; H. f. 152. — ratis inferni æquoris; H. oe. 1072. — stupet; Ag. 509. — abducta cymba fugit; H. oe. 1924.

Nauplius in profundum cadit; Med. 659.

Nautæ portus linquere jussi; Oct. 314. — timent mare in portu; Th. 580. — tuba jussi vela dare; Tro. 1044.

Naxos redimita ponto; OEd. 488.

Ne qua pars; H. f. 17. — *Ne* metue; Ph. 645. — *Ne* crede Diti; Hip. 222.

Nebris : *Nebride* sacra præcincta; OEd. 438.

Nebula gravis; Th. 773. — *Nebulæ* fumo similes; Ph. 396. — turpes; Tro. 1054 : H. oe. 1530. — *Nebulæ* leves (i. e. umbræ); OEd. 598.

Nebulosus Auster; Med. 583.

Necare indolem rectam; Hip. 454. — genitum Neptuno; Med. 635.

Necessitas plus potest, quam pietas; Tro. 581.

Nectere dolos; Ph. 120. — dolos, scelera; Tro. 928. — moras; H. oe. 10. — pectore astus; Tro. 523. — choros Palladios; H. oe. 366. — (alicui) stamina colo; *ib.* 1098. — *Nectitur* examen globo; OEd. 602. — *Nectens* verba cæcis modis Sphinx; *ib.* 92. — *Nexa* ambage arcana; *ib.* 214. — *Nexa* suis causis currunt; *ib.* 290.

Nefandus frater; Ph. 644. — princeps; Oct. 227. — incestificus, execrabilis; Ph. 223. — contactus; Th. 104. — *Nefanda* mater; OEd. 1031. — cædes; Oct. 266. — manus; Ag. 569. — domus; Ph. 80. — Colchis; Med. 871. — nex; Tro. 651. — virgo; Med. 131. — *Nefandum* scelus; Oct. 56 : H. f. 1004. — monstrum; Th. 632. — caput; Ph. 7. — carmen; OEd. 246. — facinus; *ib.* 274. — Lyci semen; H f. 988. — pietas celat; Hip. 921. — *Nefandi* tori; Oct. 142. — thalami; OEd. 635. — gressus; Tro. 518. — coitus; Hip. 160. — casus; *ib.* 992. — gnatæ concubitus; Ag. 30. — *Nefandæ* faces; Ph. 540. — spes; Oct. 158. — dapes; Th. 1105. — *Nefanda* crimina; Hip. 825. — probra; *ib* 127. — *Nefanda* pectore exturbare; *ib.* 130. — amare; *ib.* 596.

Nefas dirum; Med. 931 : H. oe. 1232 : *ib.* 1350. — geminum; H. f. 387. — ingens; Oct. 787. — ignotum; OEd. 444 : H. oe. 990. — vastum; *ib.* 767. — civile; OEd. 748. — longum; Th. 28. — horrendum; *ib.* 89. — præcipuum; *ib.* 285. — exsecrandum; Ph. 639. — clausum; Th. 1041. — Arcadiæ; H. oe. 980. — erroris; *ib.* 885. — monstro majus; Hip. 143. — est; H. oe. 1678. — et fas nominis nostri; OEd. 1023. — aut fas nihil valet; Th. 139. — recrudescit; Ph. 231. — nullum caruit exemplo; Hip. 554. — regiæ cædis exsecrandum; Tro. 44. — nullum me teste fiet; Ph. 412. — Danais inausum; Tro. 668. — fecit aditum in membra; H. oe. 1224. — hinc illinc surgit; H. oe. 1029. — detrectat manus; *ib.* 1307. — (nullum) majus est mactato patre; OEd. 18. — *Nefas* audere; Hip. 723. — compescere; *ib.* 166. — abesse; Oct. 481. — memorare; Hip. 1192. — videre; Oct. 309. — evitare; Hip. 913. — cernere; H. f. 1159. — geminare; Oct. 363. — nescire; H. f. 1099. — sistere; Th. 744. — cernere; H. f. 603. — nocere vel malo; Th. 219. — tegere astu doloque; Hip. 153. — stirpis speculari; *ib.* 678. — inter scientes gerere; Ph. 454. — impium audere; Med. 261. — duplex prosequi; Tro. 1065. — fati capere; H. oe. 1124. — fieri jubere; *ib.* 273. — omne consumptum credere; Med. 122.

Nefastus spiritus; OEd. 1027.

Negare ensem; Th. 1045. — vim; Oct. 870. — astra; H. oe. 13. — victimam; Tro. 307. — introitum; *ib.* 216. — quis Deus quidquam poterat; *ib.* 1846. — regi; Tro. 748. — copulari; H. f. 493. — audere; Tro. 891. — factum esse; Ph. 266. — lacero rogos; Oct. 308. — manibus exitum; Ag. 888. — latebram rebus occultis; OEd. 362. — sidera et mundum; H. oe. 1709. — lacrimis parum temporis; Med. 293. — docet, qui timide rogat; Hip. 594. — quod vultus loquitur; H. oe. 704. — miserum quemcumque fortem; H. f. 464. — transitum verbis; Hip. 602. — vocem luctificam dolori; *ib.* 995. — gnatam Herculi; H. oe. 426. — infantem traditum; OEd. 856. — miseræ gnatum; H. oe. 1416. — tibi si *negas*; Ph. 294. — *Negat*, qui afflictis dubiam salutem dat; OEd. 213. — sol corporibus umbras; H. f. 885. — genitor me Alcidæ; H. oe. 222. — feras mundus; *ib.* 30. — posteritas (i. e. non credit); Th. 754. — *Negant* fata vitam; Tro. 511. — silvæ rogos; OEd. 68. — *Negatur* mihi mors parata; *ib.* 76. — mihi cælum; H. oe. 7. — *Negantur* feræ; *ib.* 55 : *ib.* 263. — *Negatus* æther; Ag.

timet; OEd. 704. — virtus ignavos metus; *ib.* 88.

Nescius somni custos; Ag. 856. — *Nescia* aratri conjux tauri; *ib.* 354.

Nessea tabes; H. oe. 716.

Nessus fallax; H. oe. 966. — ferox; *ib.* 507. — struxit dolos; *ib.* 1468. — sibi exigit pœnas; *ib.* 1471. — sanguinem flammis ostendi arcuit; *ib.* 720. — est auctor mali; *ib.* 491. — transire vorticem solitus; *ib.* 503. — exierat undis ferox; *ib.* 507. — exspirans; Med. 776. — *Nessi* manus vincere; H. oe. 921. — sanguis hunc opprimit; *ib.* 920.

Nestorea Pylos; H. f. 561.

Nex impia; Ph. 260. — paterna; *ib.* 106. — Lernæa; H. f. 1195. — debita; Tro. 640. — nefanda; *ib.* 651. — alterna; Ph. 435. — tristis; Oct. 509. — gemina; Hip. 1214. — sæva; OEd. 634. — perfida; Ag. 887. — nova; Hip. 1209. — *Necis* consilium; *ib.* 854. — *Necis* meæ telum est saxum; H. oe. 1166. — causa miseranda; *ib.* 1214. — conjugis causa; Oct. 341. — *Neci* devotus; Th. 693. — meos omnes dedit; H. f. 1175. — tradere reges; *ib.* 431. — *Necem* audire; Tro. 945. — spectare; H. oe. 212. — ferre; Th. 719. — ferre (læto) vultu; H. oe. 1608. — parentum sequitur proles; Med. 438. — fratris deflere; Oct. 66. — feræ debere; H. oe. 1213. — *Nece* dignus; Ph. 202: Hip. 257. — gravi urgendus; H. oe. 1833. — gravior pœna; Oct. 108.

Nexiles coronæ; Ag. 562.

Nidificum ver; OEd. 714.

Nidus titubans; Ag. 685. — *Nidi* queruli; H. f. 148.

Niger Jupiter; H. oe. 1705. — ilicibus lucus; OEd. 530. — gurges; H. f. 554. — edaxque livor; Hip. 492. — Memnon; Ag. 212. — polus; H. oe. 559. — *Nigra* ilex; Th. 654. — silva; H. f. 836. — *Nigrum* fel; OEd. 358. — vellus; *ib.* 556. — *Nigræ* jubæ; Med. 14.

Nigrans polus; Ag. 756: H. oe. 938. — *Nigrantes* comæ; H. f. 689.

Nihil certi; Th. 240. — *Nihil* rogamus; H. f. 1302. — tenent leges; H. oe. 463. — relinquent bella; H. f. 365. — *Nil* mali; H. oe. 171.

Nilus tepens; OEd. 606. — quis poterit abluere? H. f. 1323.

Nimbos trahere; H. oe. 71. — nunciat Iris; OEd. 317. — *Nimbis* Notus gravis; Ag. 481.

Nimis diu; Th. 888. — *Nimis* est; H. oe. 1183. — durus; Th. 299. — miseri; H. f. 313. — properare; Med. 919.

Nimius favor; Oct. 884. — dolor; H. oe. 1403. — *Nimiæ* domus; Ag. 84.

Nimium potens; Hip. 331. — ferum pectus; H. f. 1226. — potens nomen; Hip. 609. — feroces; Tro. 265. — qui potest, vult posse, quod non potest; Hip. 215. — sæpe vocari; Med. 812. — queri; H. f. 63.

Nisi dum; H. f. 213. — *Nisi* forte fallor; Ag. 960.

Nisus alternus; Ag. 439.

Nissa. Vide *Nysæ*.

Nitere; H. f. 9. — sub occasu tepido; H. oe. 1567. — *Nitet* lectus ostro Iliaco; Ag. 877. — comam madidus; Th. 780. — *Nitens* Phœbus; H. oe. 1022. — *Nitens* regia; *ib.* 1438. — spoliis pellex; Oct. 126. — cana coma juvenis; Tro. 184. — facies igne sidereo; Hip. 1269.

Nitidus polus; H. f. 822. — dies; Hip. 1145. — ignis; OEd. 309. — mundus; Med. 402. — *Nitidum* corpus; Hip. 378. — jubar; Med. 100: Ag. 463. — cornu; Th. 852. — *Nitidi* currus; Hip. 311. — *Nitidæ* auro fores; Th. 347. — *Nitida* ora; Hip. 376.

Niti manu; H. f. 1320. — (aliquo); Th. 437. — *Nixæ* genu gentes; *ib.* 600.

Nitor lucis; H. f. 813. — regni;

Th. 414. — lucis tenuis; H. f. 669. — gemmarum aurum distinguit; Med. 573.

Nivalis Caucasus; H. œ. 1451. — polus; Ag. 667. — *Nivale* gelu; Med. 716.

Niveus lapis; Hip. 392. — color; Med. 99. — Araxes; OEd. 427. — Ilissus; Hip. 504. — liquor; OEd. 565. — *Nivea* victima; Ag. 585. — proles; *ib.* 215. — *Niveum* pectus; H. f. 545. — lac; OEd. 495. — corpus; Med. 61. — *Nivei* boves; Hip. 500. — olores; Oct. 678.

Nivosus collis; Hip. 233. — *Nivosa* Helice; H. œ. 1539. — *Nivosum* jugum; OEd. 808.

Nix hiberna; H. f. 933. — perpetua; Med. 682. — æterna; Th. 630. — discussa; OEd. 176. — Riphæa; Hip. 8. — *Nives* Arctoæ; OEd. 606: H. œ. 1286. — Idææ; Ph. 609. — altæ; Hip. 613: Ag. 479. — canæ; Hip. 935. — conspicuæ; Th. 126. — et flammæ; H. f. 375. — sole solutæ; Med. 588. — imbre percussæ; Hip. 383. — *Nivibus* canere; Tro. 73. — *Nives* ponere; Ph. 370. — solvere; H. œ. 729.

Nobilis partus; H. f. 494. — dies; H. œ. 1482. — pater; Med. 209. — animus; Hip. 460. — *Nobilis* umbra; Tro. 255. — manus; H. f. 625. — Atrei et Thyestæ domus; Tro. 341. — tellus; *ib.* 222. — scelere Lemnos; Ag. 566. — pugna; H. f. 760. — forma; Hip. 822. — *Nobile* civibus Argos; Ag. 808. — carmen; *ib.* 670. — collum; Tro. 747. — pecus; Th. 225. — *Nobiles* remi; Med. 608. — Argi; Th. 119. — Suevi; Med. 713. — cives; Ag. 808. — scelere petræ; Hip. 1023. — manus; Th. 685. — columnæ; *ib.* 647. — regum manus; Med. 455.

Nobilitas tanta potest; Ph. 339. — magna grave pondus; Tro. 491.

Nocere malis; Hip. 976. — eversis Phrygibus; Tro. 864. — Argis igne fallaci; Med. 58. — vel malo nefas est; Th. 219. — causæ suæ; Ph. 559. — *Nocet* ira, quæ tegitur; Med. 153. — tellus halitu sicco; OEd. 633. — ordinem ratum metuere; *ib.* 994. — *Nocuit* prora proræ; Ag. 498. — *Nocendi* causas gignere; Med. 719. — aditum præstat perfido fides; OEd. 686. — ad *nocendum* malis nullum tempus est angustum; Med. 292. — *Nocens* diu; Oct. 873. — error; H. œ. 900. cæde regis; OEd. 235. — nullo scelere; Ph. 538. — manibus aut aris; H. f. 1255. — sum totus; Ph. 158. — sum; Hip. 683. — plus quam timui; OEd. 1044. — premitur exemplo; H. f. 736. — non potest fieri; H. œ. 432. — nemo fato fit; OEd. 1019. — peribit; Med. 536. — haud est, quicumque non sponte est nocens; H. œ. 886. — videri cupit; *ib.* 889. — pœnas sibi non abrogat; H. œ. 899. — *Nocens* mater; *ib.* 951. — nunquam mihi sum facta; Med. 280. — *Nocens* cælum; OEd. 36. — *Nocentem* tenere; *ib.* 782. — fieri; Ag. 280: Hip. 1250. — fieri sceleribus; Med. 499. — *Nocentes* inclusi; H. f. 748. — *Nocentes* umbræ; Hip. 1229. — *Nocentes* facit error; Ph. 452. — parere; *ib.* 369. — amare; H. f. 1337. — *Nocentior* me nemo est; Ph. 306. — *Nociturus* succus; H. f. 935.

Noctivaga Phœbe; OEd. 254.

Nocturnus miles; Tro. 755. — æther; Hip. 420. — Ithaci comes; Tro. 39. — *Nocturna* quies; Hip. 100. — *Nocturni* metus; Ag. 765. — ignes; Med. 800. — *Nocturnæ* bigæ; Hip. 312: H. œ. 1520. — *Nocturna* lumina; Th. 795. — pabula; Hip. 19.

Nodosa verba; OEd. 100.

Nodus cohibens; H. œ. 1546. — adductus; OEd. 417. — propior; Hip. 36. — *Nodum* (Herculis) nulla capit manus; H. œ. 1661. — *Nodo* cogere comas; Hip. 402. — *Nodi* arcti; H. f. 220. — aggesti; Med. 689. — immensi;

opus est; *ib.* 1323. — te testata patrem; *ib.* 10. — cernit; *ib.* 1716. — — satis adest; Ag. 199. — vidit quod me torquet; H. oe. 1277. — non potuit perimere virum; *ib.* 440 — *Novercæ* jussa; Oct. 22. — *Novercæ* obstare; H. oe. 1134. — *Novercam* facere; H. f. 21. — videri sceleribus causam facere; H. oe. 434. — in *novercam* cadit malum; Hip. 638. — ex *noverca* frater; H. oe. 1314. — *Novercæ* sævæ; Hip. 357. — *Novercas* tacere; *ib.* 558.

Novercales, infaustæ manus; H. f. 1236 : Ag. 118.

Novitas nostra; H. f. 348.

Novus maritus; Oct. 744. — horror; Med. 794. — *Nova* conjux; *ib.* 17 : Ag. 749 : Oct. 802. — Principis conjux; *ib.* 276. — facies; H. f. 601. — lux; Ph. 248. — soboles; Hip. 468. — nex; *ib.* 1209. — *Novam* ratem docere; Med. 3. — *Novum* caput; Hip. 1020. — ver; *ib.* 764. — *Novi* leti facies gravior leto; OEd. 180. — *Novum* lacrimis vulgus; Tro. 67. — scelus facere; Ph. 24. — *Novi* thalami; Med. 743. — fontes; H. oe. 457. — rami; OEd. 753. — flores; Hip. 513. — *Novæ* lacrimæ; OEd. 32 : Ag. 379. — valles; H. oe. 85. — artes; Oct. 408. — leges fatorum; Ag. 706. — conjuges; Med. 278. — *Nova* monstra; Oct. 231. — regna metuens; Ag. 969. — ignota tibi sunt, aut nova; *ib.* 269.

Nox certa; H. oe. 1501. — opaca; Th. 790. — tristis; Ag. 578. — prima; *ib.* 465. — perpetua; Hip. 221. — mixta; H. f. 671. — alta; Med. 729 : Ag. 727. — longa; H. f. 842. — horrenda; Tro. 436. — anxia; Th. 571. — deserta; Hip. 310. — discussa; H. oe. 333. — discussa inferum; H. oe. 50. — relicta; Hip. 1145. — roscida; Ag. 815 : Oct. 224. — laxata; H. oe. 47. — cæca; Th. 668 : OEd. 1049. — alma; Tro. 438 : Med. 876 : Ag. 74. — atra; H. f. 282 : *ib.* 705 : Th. 51 : *ib.* 480 : H. oe. 1294. — silens; OEd. 178. — æstiva; Ag. 53. — æterna; Th. 1094 : Hip. 835 : OEd. 393 : Med. 9. — ignota; H. f. 942 — inferna; Ag. 494. — funesta; *ib.* 611. — expulsa; OEd. 1. — subita; Ag. 296. — propria luco; Th. 678. — gravis nube atra; *ib.* 171. — ab ortu missa; *ib.* 787. — longior stetit; H. f. 1159. — parum alta est; Ph. 144. — occupavit quosdam editos; *ib.* 248. — sine astris; Th. 1074. — solem vidit; H. oe. 462. — victa contrahit ignes; H. f. 127. — premit oculos; H. oe. 841. — thalamis digna inventa; OEd. 977. — fecit stragem; *ib.* 5. — in noctem se abdidit; Th. 994. — *Noctis* decus; Hip. 410. — nuncius; *ib.* 750. — æternæ saxum; Med. 464. — æternæ chaos; H. f. 610. — loca vincere; H. oe. 1949. — cubile videre; *ib.* 1440. — dux Hesperugo; Med. 877. — *Nocti* diem miscere; Ag. 36. — polum cedere; Oct. 715. — *Noctem* emittere; H. oe. 1132. — discutere; Med. 68. — fugare; H. f. 1059. — submovere; H. oe. 614. — experiri; OEd. 973. — subtegere; Hip. 956. — vidit dies; H. oe. 462. — relevare igne; H. f. 856. — querelis ducere; Hip. 370. — jungere Baccho; Th. 467. — in *noctem* vergens dies; *ib.* 798. — *Nocte* una creari posse; Ag. 826. — quiddam gravius; H. f. 611. — commissa; H. oe. 1697. — tenebrosi specus septa; Ag. 909. — *Noctes* vigiles; H. oe. 647. — geminæ; *ib.* 147. — serenæ; OEd. 46. — claræ; H. oe. 239. — festæ; Hipp. 444. — tenent suum tempus; Hip. 314. — *Noctium* Dea; *ib.* 793.

Noxius Cithæron; Ph. 256. — populus; Oct. 832. — *Noxium* occidere velle; Hip. 1117. — *Noxia* corpori est mors; Tro. 403. — *Noxium* caput; Th. 153: Med. 1005. — *Noxiæ* viæ; Ph. 147. — animæ; Th. 1016.

Nubere exsuli; Ag. 290. — marito peregrino; Med. 115. — face incesta; Oct. 260. — *Nubenti* dona ferre; Med. 575. — *Nupta* hosti; Hip. 90.

— Tonanti Juno; H. œ. 1510. — conjux marito; *ib.* 658.

Nubes deformis; Th. 775. — atra; *ib.* 624: OEd. 1000: H. œ. 1133. — squalida; OEd. 2. — ætherea; Oct. 973. — pulverea; Ag. 600. — rupta; Hip. 419. — elisa; Ag. 495. — densa; OEd. 327: Tro. 21. — discussa; H. œ. 1707. — ocior Coro; Hip. 737. — sordido globo crescens; Ag. 462. — rupem ferit; H. œ. 782. — de nube media volucres auferre; *ib.* 1654. — de nube pinum vocare; *ib.* 1651. — *Nube* sub media stare; OEd. 901. — *Nubes* Sicaniæ; H. œ. 1361. — gravidæ; Tro. 394. — horridæ; Th. 1078. — ruptæ; Med. 533. — siccæ; *ib.* 754. — atræ; Hip. 675. — vacuæ (sc. pluvia); H. f. 863. — feriunt suppara; H. œ. 699. — sequuntur radios; *ib.* 1528. — *Nubes* pellere; Ag. 803. — quatere; H. f. 459. — spargeret mare; Med. 345.

Nubilum novum; OEd 45. — triste; H. f. 620. — *Nubila* atra; Hip. 955. — *Nubila* fati pellere; Th. 934.

Nudare sinus viscerum; Ph. 160. — *Nudant* frigora silvas; Hip. 967. — *Nudata* rogis Ide; Tro. 74. — *Nudatum* pectus; Oct. 805. — *Nudati* lacerti; H. œ. 1554. — *Nudata* membra intueri; *ib.* 1357.

Nudus pes; Med. 753. — (pro: inermis); H. f. 1172. — auro crinis; H. œ. 360. — *Nuda* manus; Hip. 519. — *Nudum* nemus; H. œ. 381. — pectus; Ph. 405. — latus; Tro. 381. — *Nuda* pectora; *ib.* 105. — vada; OEd. 43. — ossa; Tro. 894. — Trojæ litora; Ag. 435.

Nullus Eurystheus; H. f. 479. — *Nulla* Juno; *ib.* 479. — spes; Hip. 360. — feritas in ursis; OEd. 151. — *Nulla* pœna contente; H. œ. 296.

Numen implacabile; OEd. 396. — placidum; Th. 132: Tro. 880. — falsum; Hip. 197. — supernum; *ib.* 926. — agreste; *ib.* 405. — vile; OEd. 448. — secundum; H. f. 1185. — geminum; *ib.* 905. — prosperum; Med. 56. — cælitum; H. œ. 475. — Deorum; Oct. 57. — Epidaurii Dei; Hip. 1022. — pelagi; Oct. 709. — Deorum mihi adversum; Tro. 28. — templis additum; H. œ. 1982. — maximum amoris Venus; Oct. 697. — *Numinis* munus; Hip. 949. — *Numen* invocare; Med. 440. — serenare; Ag. 520. — precari; OEd. 226. — geminum colere; Ag. 381. — (alicui) submittere; Oct. 482. — nullum pietas habet; *ib.* 911. — superum hospitis cæde litare; *ib.* 981. — *Numina* supera; H. f. 505. — placida; Med. 985. — sæva; OEd. 75. — gemina; Med. 700. — *Numinum* ira notis ostenditur; OEd. 331. — favor secundus; Hip. 159. — *Numina* Divum precari; Oct. 964. — voto placare; Hip. 200.

Numerare umbras; OEd. 615. — funera Tantalidos matris; Ag. 375. — (quem) inter labores Herculeos; H. œ. 341. — pisces mersos; Th. 593. — (aliquem inter aliquos); Ph. 650.

Numerosa pestis; H. œ. 1534.

Numerus laborum; H. f. 832. — Deorum impar; Ag. 811. — dolori nimium angustus; Med. 1011. — et locus convenit; OEd. 782. — arenis deerit; Med. 403.

Nunc primum; Med. 106.

Nunciat iris sinu picto nimbos; OEd. 317.

Nuncius felix; Ag. 397. — noctis; Hip. 749. — horæ seræ est vesper; Th. 794. — quid portat; Hip. 989. — *Nuncium* vocare; *ib.* 992.

Nuncium Phrygibus perferre; Ag. 1005. — *Nuncium* infaustum læto miscere; *ib.* 417.

Nupta nova; OEd. 497: Med. 839. — cruenta; H. œ. 1467. — Herculis; *ib.* 344. — *Nuptæ* munus; Med. 642. — iratæ dolor potior hydra; H. œ. 285. — *Nuptæ* et pellici domus patet; *ib.* 234. — *Nuptas* ruinis quærere; *ib.* 421.

Nuptialis dies; H. oe. 348. — *Nuptiales* faces; H. f. 496.

Nurus Lydia; H. oe. 371 : *ib.* 573. — cruenta; H. f. 498. — Augusti; Oct. 934. — Tonantis; H. oe. 1420. — discet te magistro; H. f. 491. — *Nurum* vocare; Tro. 882. — Jovis e famula fieri; H. oe. 279. — *Nurus* et nati Priami; Tro. 57. — Argolicæ; Ph. 576 : H. oe. 400. — Mycenææ; Tro. 363. — Phrygiæ; Ag. 144. — Thessalæ; H. oe. 338. — Threiciæ; H. f. 577. — impiæ; *ib.* 20. — permixtæ maribus; *ib.* 878. — *Nurus* viduas videre; Ag. 704.

Nutat silva culminibus imposita; Th. 465. — silva nigra ilice; *ib.* 655. — aula solo succusso; *ib.* 697. — *Nutans* corymbus; OEd. 403.

Nutrire blandiendo malum; Hip. 134. — greges Thracios; Tro. 225.

Nutrix; Hip. 178. — fida; *ib.* 432 : Med. 568.

Nutui (alicujus) terras subjicere; Oct. 484. — *Nutu* (pro: nutui); *ib.* 843. — *Nutus* timere; *ib.* 111.

Nyctelius latex; OEd. 492.

Nysæ juga; Med. 384.

Nysæi thyrsi; OEd. 405.

O.

O sævum scelus; Th. 743.

Obducere; Tro. 1163. — ora; Hip. 586. — *Obductæ* fores; H. oe. 1548. — *Obducta* temporum tractu; OEd. 851.

Oberrare oculos; H. f. 1146. — *Oberrat* obvius; Hip. 1079. — mihi monstrum; H. f. 1281. — error; Th. 966.

Obesse : obest libertas regi; OEd. 525. — *Obfuit* sæpe vindicta; H. f. 1187.

Obex disjectus; H. f. 999. — *Obicem* abrumpere; *ib.* 237.

Objacent fortunæ imperia; OEd. 11.

Obicere (pro: objicere); Med. 496.

Objicere crimen; Med. 237 : *ib.* 497. — cædem, dolos; *ib.* 496. — feris, monstrisque; H. f. 434.

Obire (alicujus) scelere; OEd. 765. — forti manu merere; H. oe. 1409. — *Obiit* mortalis Alcides; *ib.* 1911. — *Obiisse* gnatum parens scio; Hip. 998.

Obiter ferre centauros; H. oe. 1049.

Obitus solis; H. f. 1060. — post *obitum*, quo jaceas loco, quæris; Tro. 400. — *Obitus* trahet; H. oe. 1113. Herculeos flere; *ib.* 1883.

Obligare fidem pretio; Ag. 286.

Obliquare oculos; Th. 160.

Obliquus trames; Th. 845. — limes; OEd. 365. — *Obliquum* latus; Hip. 1073. — *Obliqui* flexus; Tro. 389. — cursus; Hip. 676. — *Obliqua* astra; H. f. 1333. — Phocis; *ib.* 334.

Obliterari iræ data; Med. 557.

Oblivisci vadis sui; Med. 560. — *Oblitus* sui; H. f. 808. — sitis; Ag. 771. — nostri; H. f. 1203. — sequi fugam liquor; H. oe. 1038. — *Oblita* conjugis; Oct. 261. — nati; Tro. 459. — veneni; H. oe. 1060. — *Obliti* sceleris; H. f. 728. — sui (pro: mortuis); *ib.* 292.

Obloqui : unde obloquuntur? Th. 1004.

Oboriri : oborta nox; H. f. 823.

Obrepere : obrepsit genis somnus; Tro. 441.

Obruere (quem); H. oe. 1786. — cadaver Pindo; *ib.* 1169. — (aliquem) clade; H. f. 1182. — (quem) luctu; Oct. 267. — se tellure; H. f. 1322. — facinus tenebris; Th. 786. — quidquid per Libyam jacet; H. oe. 1105. — (quem) flammis; Oct. 228. — ignes flammis; *ib.* 808. — membra cœno; *ib.* 798. — scelus scelere; Ag. 152. — Deos templis; Ph. 344. — clusam saxo noctis æternæ; Med. 464. — indicium salutis publicæ; OEd. 516. — *Obruit* caligo tenebras; Ag. 472. — pater gnatum; Tro. 690. — gentes cinis; H. f. 367. — nos fragor; H. oe. 121. — coma vultus mœstos; Th.

374. — sub *occasu* positi Iberi; H. œ. 1522.

Occidere; Tro. 789. — dextra sua; H. oe. 1465. — clade; Th. 189. — cum Alcide; H. œ. 924. — noxium velle; Hip. 1117. — manu Pyrrhi; Tro. 941. — scelere civium; Oct. 502. — scelere conjugis; *ib.* 45. — (alicujus) virtute; Tro. 751. — ante ortus Hesperios; OEd. 742. — Herculis manibus merere; H. œ. 1460. — in ævo primo; OEd. 775. — procul a paternis regnis; Med. 620. — est, vetare cupientem mori; Ph. 100. — *Occidit* columen eversum; Tro. 6. — virgo regia; *ib.* 287. — tota domus; Med. 886. — Phœbus sero; Th. 778. — Laius dextra (alicujus); OEd. 257. — Cadmi proles; *ib.* 110. — subito flamma; *ib.* 308. — terrigena miles mutua cæde; Med. 470. — Tonantis nurus; H. œ. 1420. — *Occidunt* regna; Ag. 912. — *Occidam* (pro: moriar) H. f. 1263. — *Occidat* monstrum parvulum; *ib.* 1020. — *Occidi* patrem, matrem amavi; Ph. 261. — *Occidens* varius Phœbus; Ag. 464. — sol; Tro. 382.

Occiduus sol; Th. 822.

Occubare leto; Hip. 997.

Occulere pium furtum; Ag. 931. — fratrem abditum; *ib.* 980. — (aliquem aliqua) sede; Tro. 477. — arcana pectore; Hip. 875. — secretum; *ib.* 860. — cœpta; Th. 333. — *Occulit* fortuna et ratio; OEd. 825. — *Occultum* facinus; Hip. 151 : OEd. 287. — vulnus; H. oe. 1250. — *Occultæ* res; OEd. 362.

